


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
12
27 F
13

24


1/2 tela

IACOBI PHOLII

DE BENEFICENTIA

LIBRI TRES.

AD SEBASTIANVM I. PORTVGALLIAE, ET ALGARBIORVM REGEM AVGVSTISS.









ROMAE.
Apud Valerium Doricum.
MDLVII.

IACOBI PROLII

DE BENEFICENTIA

LIBRI TRES.


AD SEBASTIANVM I. PORTVGALLIAE,
ET ALGARBIORVM REGEM AVGVSTISS.



ROMAE.
Apud Valerium Doricum.
M. D. LVII.

CATHERINAE AVSTRICAE PORTVGALLIAE, ET ALGARBIORVM REGINAE AVGVSTISS.

IACOBVS PHOLIVS S. P. D.





OANNI Portugalliæ, atq; Algarbiorum regi hos de Beneficentia libros pridem dicaueram; quo uno ex omnibus, qui hac ætate reges essent, cum hæc scriberem, exemplo præclarissimo ad hanc laudem usus eram. Verum, cum nuper imprimendos curarem, Romam de eius morte allatus rumor & me de optimi regis iactura haud mediocri dolore affecit; &, ut animi mei propositum mutarem, coegit: effecitq;, ut noui regis nomine ederem, quos nondum editos mortuo nuncupare non licebat. Quod quidem & eius maximis erga rem.p. Christianam meritis, & tuæ præclaræ uirtuti, dignitatiq; amplissimæ à me tribui æquum erat, & mei simul instituti ratio postulabat. Nam cur aut officium istuc propè debitum regis tam benefici pijs manibus non persoluerem? aut de regina omnium fœminarum præstantissima, & Ioanne rege coniuge dignissima aliqua ratione promereri non stude-

rem? aut ego, qui cæteros instruxi ad beneficentiam, ei regi aliquid non prodesse conarer, qui rectè præcipienti obtemperans posset aliquando is effici, quem te in primis, auiq; simul fratre uiro sanctissimo, sapientissimoq; puerum ad uirtutem, rerumq; Lusitanarum gubernacula instituentibus futurum speramus? Itaq; dedi operam, ut uolumen ad eum perferretur, ratus me & illi munus quidem præstantius missurum, quàm si equos, aurumq; misissem; & tibi gratissimum facturum: quòd ille, cumprimum adoleuerit, poterit aui sui hominis clarissimi magna cum admiratione legere, & audire, tu coniugis dulcissimi egregias laudes iucundè tecum ipsa recordari: & quòd ille habebit exemplar, in quod intuens se ipsum ad res magnas excitabit, semper ampla spectabit; tu facta eius præclara tecum communia simul agnosces: ut eadem propè tibi debeatur laus, quæ illi: qui semper secum te habuit & omnium consiliorum suorum participem, & in rerum administratione sociam laborum. Tu *uero munus, quod à me in regem proficiscitur, grato animo, quæso, accipias, ut & humanitas tua, & magnitudo animi, & fortunæ postulat amplitudo: hoc si abs te impetrabitur, mihi planè fiet illud multò & ornatius, & maius.*

INDEX.

EX PRIMO LIB.

EX SECVNDO LIB.

EX TERTIO LIB.

IACOBI PHOLII DE BENEFICENTIA LIBER PRIMVS.

AD SEBASTIANVM I. PORTVGALLIAE, ET ALGARBIORVM REGEM AVGVSTISS.



VM *mecum ipse cogito, quàm multa sint hominum studia, et artes, quæ hos ornent in primis, & claros reddant, non possum magnopere non mirari, Sebastiane Portugaliæ*, atq; Algarbiorum Rex Augustiss. *in tanta multitudine, quæ propè infinita est, esse tam paucos; qui, quod homini soli propositum est, præmium ex industria, & uirtute sibi quærant.* Neq; *enim culpa naturæ ulla debilitata est uis humanæ mentis: neq; in uno, eodemq; genere laudis omnibus exercendi ingenij ratio proponitur: ut, si cui minus id placeat, nihil præterea ei reliquum sit, quò se conferre possit: & (quò minus uenia dignos putes) cernunt iter maximis præclarorum uirorum laboribus sibi ad laudem patefactum, facilè hanc ipsam assecuturi: nisi aut otium auocaret à labore, aut uoluptas impediret.* Atq; *, ut omittam nunc cætera, quæ nonnulli natura duce, aut consilio, & instituto quodam probant, & sequuntur, mihi sanè nihil maius esse uidetur ad gloriam, aut plus unumquemq; immortalitati consecrare posse, quàm illud profiteri; quod non ignobiles*

quondam philosophi in dijs, quos ij tum colebant, tanquam excellens, ac præclarum esse uoluerunt. Istud uero est, beneficum omni hominum generi se uelle præstare. Neq; *enim quicquam est aut ad rerum humanarum conseruationem tam necessarium, aut tam natura ipsa perfectum, quàm eum imitari uelle, qui, quem procreauit, solem patiatur ad improborum etiam communem usum orbi terrarum illucescere. Itaq; ut ego quoq; aliquid prodessem, qui alia ratione minus poteram, operæpretium esse duxi, hominem beneficum ad eius exemplar instituere; cuius erga humanum genus innumera, eáq; omnium amplissima beneficia extiterunt. Id autem cum in tribus explicauissem libris, eos tuo nomini nuncupare uolui: ut, cum per ætatem liceret, posses discere, unde regi uera paretur laus; & eo nomine, quod tibi diuinitus inditum est, semper digna facta cogitare.* Quod *planè futurum spero, si uerum illud sit, fortes creari fortibus; aut si eius, qui te regnorum hæredem reliquit,* Ioannis *aui tui regis præstantissimi laudum quoq; hæres esse uoles. Id si firmiter olim retinebis patrimonium, tum te eum esse fingito, qui est à me hoc sermone institutus; cuiusq; in eodem auo tuo uiuam propè effigiem expressam mihi habere contigit.* Huc *autem ijsdem artibus te contendere oportebit, quæ in illo admirabiles fuerunt, liberalitate scilicet, iustitia, & pietate.* Quis *enim fuit tanto, & tam laudato rege ad iuuandum propensior, & liberalior? quis continentior, & æquior? quis ueræ pietatis amantior?* Huius *nimirum consilio, studio, opera, & exemplo ad sacrosanctæ religionis cultum quamplurimorum hominum traductæ mentes pridem iter ad cœlum sibi muniuerunt.* Qua *in re non Lusitani modo, sed multæ etiam in*

Africa, & in India gentes sentiunt beneficium, quas non multò antè nomini Christiano inimicas esse uidimus. Hoc insignis est opus industriæ: hoc pietatis argumentum. In id unum qui incumbit: qui studia sua, & cogitationes omnes eò confert, ut, cum pro uiribus effecerit, ne cæteris quicquam desit eorum, quæ caduca, & mortalis hæc uita multis coacta necessitatibus postulat, nihil præterea non agat, quo in primis mortales omnes adipiscantur æternam, & immortalem uitam, quæ unius beneficentiæ amplissimus, & iucundissimus est fructus, hunc ego ab immortali Deo hominum saluti consulente in terras è cœlo demissum esse dico. Neq; enim fieri istuc potest absq; ueris, atq; excellentibus animi bonis, quæ uix pauci assequuntur. estq; præterea, ut omnium pulcherrimum, ita etiam difficillimum, alijs æquè, ac tibi ipsi, bene esse, sic uelle, ut in his iuuandis omnia facias: labori nulli parcas. Olim, cum tenebræ essent, his beneficijs contenti fuere homines, quæ fragilis requirit natura: quorum auctores rettulerunt in deos, ueram æternitatem adumbrantes, quæ præsertim ex collatione beneficiorum in omnes mox futura erat: aut, nec opinantes ipsi, referentes, quæ fuerat antè, quàm à uera pietate desciuissent. post receptam lucem, sequuti sunt innumerabiles: quorum alij profusione sanguinis, alij uitæ continentia, & charitate erga omnes & sibi, & reliquis etiam, quibus exempla sequi placuit, aditum ad cœlum aperuerunt. hos uerius deos esse dicimus, quàm, quos stulta consecrauit antiquitas: hos quærimus beneficos homines, & uniuerso populo Christiano salutares. Quibus quidem (siquis uolet esse rerum æquus æstimator,) nostris demum temporibus, & animo, & uoluntate par extitit Paulus hic IIII

Pont. Max. Est enim malarum artium hostis adeò acer, bonarum cultor egregius, ut, cuius reuocandæ initio pontificatus sui fundamenta iecerat, disciplinæ ueteris esset iam in rep. Christiana pars magna restituta, nisi perfidus Satan hominis sanctissimi optima consilia disturbasset. Quanquam, si tandiu uixerit, quandiu & temporum postulat necessitas, & boni uiri optant, ac precantur, sperandum omnino est huius opera propediem fore aliquem horum malorum finem. Id cum Dei Opt. Max. clementia, & ope simul euenerit, planè affirmare licet, tum re ita præstaturũ, ad quæ magno studio uidemus ipsum contendere, ut solidam ex beneficẽtia laudem sit adepturus. De qua ut aliquid scriberem, Perusiæ cum essem, compulerunt me Iulius Feltrius Cardinalis, & Antonius Triuultius Tauroentij Episcopus; quem hoc anno, quo hæc edenda curaui, idem Pont. in collegium Cardinalium magno bonorum omnium consensu cooptauit. res autem initium sic habuit.

Nam, cum Antonius solenni, ac festo die, quo die sanctè, pieq; à nobis duorum omnium colitur memoria, esset unà cum Iulio legatum in Vmbria agente feriatus, eoq; tum uenissem ad Iulium, ubi me conspicatus est, peropportunè, inquit, Iacobe huc uenis. hodie enim colloquendi inter nos tantum ocij nacti sumus, quantum in maximis muneris huiusce laboribus optare uix licuit: modo relictis horum domesticorum lusibus uenimus in hanc bibliothecam Iulij. Itaq; non uideo, qui sic desides esse, aut nihil eorum omnino agere nos deceat, ex quibus, honestum ut sit otium, efficitur. noui enim, tali, ac tesseræ non minus tibi displicent, quàm nobis: qui, quæ oblectent, potiora semper habes: sedeas in hemicyclo

hoc licet. Velim nobis nunc dicas (nam de hoc ego te percontari dudum ante cogito) cum multa sint hominum studia, atq; uiuendi rationes, quam tu unam ex omnibus optimam, & anteponendam cæteris esse arbitrere. alios (ut exempli causa ex his quasdam recenseam) belli delectant artes: moderandæ Reip. studium distinet alios perdifficili labore occupatos: multis præcipua est domesticarum rerum cura: nonnulli doctrinam probant sibi ipsis tantum degentes. tanta nimirum uarietas studiorum, ad quam trahit ferè unumquemq; aut cupiditas gloriæ, aut propriorum ratio commodorum; suspensos quosdam tenet interdum, ut non sat queant decernere, quodnam uitæ institutum sit ipsis diu, multumq; cogitantibus capiendum. Ita est, inquam, Antoni, ut dicis. Verùm, quod scire uis, id eiusmodi est, ut non facilè explicari ab eo possit, quem sic imparatum offendas. aliquod ad hæc meditandi spacium dedisses: minus enim mihi foret lubricus hic ad respondendum locus. Non est, quod tergiuerseris, inquit, aut horum similes parum esse memorem, quem quotidie uidemus ex ueterum libris hæc ipsa, & multa repetentem, atq; animo assiduè uersantem, quibus beata continetur uita. aut, si pergas abnuere, nimis cupidum laudis ducemus: qui, ut abs te exorari hoc sinas, eius præconem adhiberi uelle uideare. Quoniam, inquam, uim quandam uideris afferre, nec auctoritati tuæ parère non possum, rationem quandam uiuendi instituo: quam præcipua alienæ utilitatis cura (hunc enim sibi finem propositum hæc habet) à cæteris seiungere posse uideatur: statuoq; nihil aut naturæ humanæ conuenientius, magisq; proprium, quandiu hæc corpore prædita est: aut aptius ad conciliandam beniuolentiam multorum: aut ad memoriam nomi-

nis propagandam præstabilius uideri, quàm illud unumquemq; uelle profiteri, ut charitate ea, quam natura ipsa homini indidit, omnes complectendo mortales, studeat pro uiribus collatione beneficiorum prodesse quamplurimis: actionemq;, quæ maximè id præstat, contemplationi præferri oportere. Tu *quid ad hæc: aut potius, quid ipse sentias, scire aueo.* Egregium, *inquit, & laudandum ego quoq; id, quod dixti, esse fateor.* Cur *enim non extollam uerbis, qui, si minus assequar, at conatu tamen (* Episcopum *enim me uides) ex ipso uitæ instituto idipsum pridem cæteris anteferre uidear? Sed uide, ne minus uerum id sit, quod de actione dixisti: quo sublato, uereor, ne de eo quoq;, quod prius statuisti, secus nobis sit omnino sentiendum.* Quid *enim dices ad illos, qui actionem contendunt cum peruestigatione, ac scientia cum earum rerum, quas multis integumentis natura inuoluit, tum uero diuinarum nullo pacto esse conferendam, asserentes uno contemplandi munere* Deo *ipsi, naturæq; principi homines esse quamsimillimos?* Quare, *si contrà, quàm uidemus plerosq; sentire, potes eius, qui se ad agendum confert, partes defendere, nihil est (uidetur enim beneficentia omnino actionem exigere) tua ea de re, quam scire uolumus, sententia firmius: sin illi uicerint, eam scilicet te reuocare oportebit.* Aut, *ut uerum sit, quod ais, nulla re magis, quàm hoc promerendi studio aut magnam acquiri gratiam, aut famam extendi, illud quidem certè fateri necesse erit, aliquid inueniri, quod magis secundum hominis naturam esse uideatur. huiusmodi enim id est, quod in uniuscuiusq; natura optimum esse cernitur: ut hac una ratione prior sit contemplatio, actio posterior.* Possum, *inquam,* Antoni, *istuc ipsum experiri, modo ne futu-*

ra hæc sint ingrata Iulio. Neq; uero hoc dico, quòd ad uirtutem pridem incensum non uideam, aut optimarum artium amore flagrantem, (est enim, siquis alius, & optimis moribus ornatissimus, & cultor musarum) sed uereor, ne grauia, quibus solitus est hic uacare, facilè auertant leuiora contemnentem. Tum Iulius, me quoq; otiosum, inquit, esse fingito, quum Antonium rerum grauiorum cura uacantem uideris. Vtriusq; enim propè conditio est par, si laborem spectes: operæ tamen plus dat Antonius in iuris dicundi exercitationem, qui rei huiusce disciplinam profiteatur. te autem nihil mihi gratius facturum scito: qui, nisi tulisset occasio, ut nunc minus cogitans essem de hoc loquentem auditurus, ultro ipse omnino aliàs uel nolentem compulissem. Quamobrem obsecro te, ut, quantum potes, enitare uel tueri, quod potissimum tibi probari ostendis; uel potius omissa illa, quæ plerumq; homines ad mentiendum trahit, ostentatione ingenij, ueritatem in tanta controuersia omnem, quam assequi potueris, aperire. Nam, si (id quod facturum spero) actionem contemplationi præferendam esse demonstraueris, uidelicet illud effugere non poteris, quin de illo altero præcepta aliqua des: quibus &, id ipsum quale sit, explicetur; & ipse quoq; aliquid prosis, qui iuuandi cæteris auctor esse uelis. Ego uerò iudicium fratris mei lætabor in eo comprobari, quòd peradolescentem ad eum me honorem euocari tulerit; in quo loci multum esset ad agendum industriæ, quietis ad contemplandum parum. Quanquam intelligo homines huius ordinis amplissimi nonnullos omissis cœterarum rerum curis honesto otio olim fuisse contentos; quorum auctoritas (fuere enim magni, & excellentes uiri) interdum dubium me facit, duarum uiuendi rationum, quæ

homine dignæ habeantur, utram ætas hæc mea persequatur. A*tqui,si exempla,inquam,*Iuli, *te sequi oporteat,in quibus inest uis maxima uel ad deliberandum,uel ad agendum, ut illud rectè nonnunquam,*

Quod exemplo fit,id sibi licere putant,

*domi habes magistros uiuendi,ac duces:in quos si intueri uelis,deliberandi rationem omnem explicatam habes.*Illud *scito, atq; inde tibi exemplum sumito clarissimum,*Iulio II Pont. Max. (*Id nomen hæreditarium adhuc tu ex eo habes, reliqua fortassis tua uirtus tibi olim dabit)traductam fuisse uitam omnem uel in procurandis commodis amicorum,ac priuatorum, uel in administratione rerum publicarum:in qua præ se tulerit & scientiam gubernandi singularem,& magnam animi integritatem:refertam esse eius omni genere monimentorum* Italiam *: quiq; pro eius salute,aut dignitate tot exhauserit labores, adhuc extitisse neminem: atq; hæc omnia perfecisse non spe præmiorum, quæ nulla tantæ uirtuti inueniri poterant,sed sola rectefactorum conscientia contentum;ex qua eam, quæ optimo cuiq; præmium est amplissimum,immortalitatem fuerit ille cõsequutus.*Illi autem,*quorum te dicis exemplo moueri,si quorundam periculorum metus, aut labores perterruerunt, quos aliquando maximos subire cogit amplitudo muneris;si quietis pellexit amor,minus fortasse reprehensione carent:qui officio,& dignitati suæ deesse uisi sunt, ea reformidantes, quæ pati suprema est pietatis laus.* Id autem tu *modo melius ex me cognosces.*Quanquam *difficile istuc mihi fore uideo: salutandi enim uos causa, non disputandi,huc ueneram.* Ex*pone iam nobis, inquit* Antonius*, quæ habes: continenti, ac*

perpe-

perpetua oratione utare licet: loquentem nemo unquam, aut rarò interpellabit. Rursus inquam affirmo in delectu uitæ, quam sequi uolumus, illud huius genus ab unoquoq; alteri anteponi debere, unde in alios utilitas existat maior; atq; eò rationes ferme omnes referri oportere, ut cæteris semper prodesse uelimus. Itaq; ei, qui est à nobis hoc sermone instituendus, quæ uitæ ratio conueniat, & quibus artibus instructus esse debeat, ante docebimus: dein ea, quæ magis necessaria uidebuntur, ad beneficentiam præcepta afferemus. De qua planè uolumus ita disserere, ut uim eius omnem latissimè complectamur: cum, qui ante hacce de re disputarunt, eam magis intellexisse, quàm oratione explicasse uideantur: tametsi ne sat quidem omnia fortassis introspexerunt. Verum, id totum quale sit, ex his manifestum fiet, quæ dicentur. Potest hoc quidem fieri à nobis, aut etiam debet: qui pro nostra facultate ingenij, quantulacumq; ea est, alijs emolumenti aliquid afferre uolumus. Nam et duces habemus; à quibus initium itineris nobis commonstratum est, exitum ipsis aut nolentibus, aut minus fortasse animaduertentibus: & uirtutum omnium affinitas quædam, atq; inter se colligatio tanta, quanta esse potest, liberiores nos facit. Impellit præterea ipsius natura; quæ est cum per se illustris, & clara; tum uerò illud commune bonum, quo omnes inter se conueniunt, statim uel ipso nomine una complecti uidetur: bene enim facere nos uirtus omnis cogit, qua excoluntur animi mores, & ad bonam frugem perducuntur. Cumq; sint præstantissimæ, & maximè insignes, quæ animum ad contemplationem rerum festinantem interdum, inhiantemq; trahunt, bonos homines faciunt tantum uirtutes hæ, quæ morales dicun-

tur. Quare iure omnium hanc poterimus dicere esse præclarissi-mam: quæ id honestum atq; excellens (hoc autem est bonum) quod est omnibus commune, tanquam proprium sibi uendicarit: ut ex hoc uno ipsi intelligeremus, ex omnibus aliarum uirtutum functionibus nullam ea, quæ ex hac manet, honestiorem uideri. In primis uerò locupletem ut faciamus beneficentiam, suisq; ipsam decoremus ornamentis, multò alacriores trahit, uera, sacrosanctaq; religio: quam tueri, ac uereri & omnes debent, & nos magis, qui sacris initiati sumus. Is enim, quem deum, & hominem simul colimus, & sermone, & uitæ exemplo cæteris hanc ita præfert, ut summum hominis, æternumq; bonum (quantum quidem ad eius adeptionem imbecillitas humana potest) beneficentiæ potissimum uoluerit acceptum referri: quo quidem eorum, quæ nunc asserimus, teste sic utimur, ut nulla nec auctoritas maior, nec ratio firmior esse possit. Quare huius eam facultatem esse dicimus nos, ut, cum rerum humanarum ortus optabiles, præclaraq; initia beneficentiæ tribuamus, progressus quoq; mox ipsarum adiuuari, ac demum conseruationem, incolumitatemq; eadem contineri statuamus. Id autem ut planius ostendatur, ea quid sit, explicandum: definitione enim rectè, atq; exactè instituta, omnium, quæ disputanda sunt, traditio sequetur explicatior. Verum illa prius discutere, atq; explanare est necesse, de quibus controuersia aliqua possit existere, à natura sit, nec ne: tum quæ sit eius tanquam materies quædam, circa quam uersetur, in quibusue collocare ipsam oporteat. Neq; uero fas est iis dubium reuocare, uirtus'ne sit, quam Græci ἐυεργεσίαν *uocant: quam Philosophorum quorundam testimonio, auctoritateq; huiusmodi esse constat: &*

nos copiosius, quàm illi, disputantes ostendemus. Cur enim, ut æquitas, quæ iustitiæ pars est potior, animum excolendo ita afficit, ut, quæ leges omittunt, pro arbitrio is corrigat: uidereq́; nonnullos licet, qui ex professo summa cum aliorum utilitate dirimant quotidie controuersias, quas ad multorum pernitiem iudicia grauiora alunt: itemq́; bonitas (si Ciceroni credimus) ex quarundam uirtutum inter se coniunctione compacta uirtus, quæ nihil, nisi quod bonum est, uelle homines propè cogit, ex quo boni uiri dicuntur, ita etiam hæc non doceat sic hos ipsos charitate inflammatos aliorum commodis inseruire, ut nolint unquam, nisi, quod præclarum est, & gloriosum, non profiteri? aut cur affectus is, qui gratia dicitur, non potest in animis sic imprimi, & firmari, ut euellere sit quàm difficillimum? Id certè uirtutis, quam affectuum moderatricem Philosophi statuunt, munus esse, qui neget, arbitror esse neminem. Præterea beneficentia qui differt à uirtute: (quæ, siue uniuersa simul accipiatur, siue distribuatur in partes, proculdubio habitus est) si, ut Aristoteles aliquando uult, uirtus sit bonorum effectrix, & conseruatrix facultas? eadem præterea erga alios magnorum, & omnis generis beneficiorum parens? quanquam de hoc alio in loco paulò diffusius à nobis disputabitur. Itaq; ea illic declarabuntur, quæ reliqua hic desunt. Neq;, id quod his maximè consentaneum est, deos suos beneficos potissimum Stoici esse uoluissent; si bonum istuc ex eorum numero esse iudicauissent, quæ, qui possident, illorum propria dici non possunt: aut, si aliquando benefici esse desinerent; in quibus mali quicquam esse, cogitare est nefas. Atq; hæc a Philosophis. Ex alia autem multò ueriore philosophia beneficentiam uirtutem

esse possumus egregiè tueri. Nam, *cum* Theologorum *nostrorum decreto charitas sit uirtus, quam immortalis* Deus *homini tribuat, qui largientis liberalitatem non aspernatur; hac uero qui præditi sint, homines constet aliorum utilitati seruire, minus sua procurantes, certè beneficentiam quoq;, cuius parentem charitatem esse dicimus, uirtutem esse fateri necesse est.* Nunquam *enim, ut inquit* Diuus Paulus, *iners est charitas: semper quærit, quod alteri sit utile: quæ si beneficia prudenter locabit, eadem utiq; beneficentia efficietur: ut rectè omnino in hoc stoici ipsi de dijs suis sensisse uideantur: quos & diligere, quibus consulerent; &, quos amarent, his accuratè, sapienterq; consulere uoluerunt.*

V*trum autē, de quo fortasse quispiam ambigat propter contentionem hominum eruditorum, studio, curáq; hanc animi ad gratificandum propensionem coniunctam cum rectè in hoc ipso agendi scientia nobis ipsi comparemus, an potius, cum primum in lucem edimur, ipsa quoq;, ut reliqua, quæ una procreantur, nos consequatur comes, uidere, ac dijudicare perfacile est.* Nec *audiendus* Plato, *aut* Socrates, *qui uirtutes omnes censet natura constare; &, dum reminiscentiam tuetur, doctrinam negat.* Cur, *si tantum cum philosophis sentiendum est, non sit illud uerius, aut probabilius, quod &* prius Aristoteles *uir doctissimus, sicuti pleraq;, uidit acutius; et post communi omnium propè, qui* Philosophi *esse uoluerunt, sententia comprobatum est, animos uidelicet humanos conditionem illam, uimq; esse sortitos, ut eam ortu ipso facultatem acceperint, qua possent accedente studio, atq; exercitatione aut excoli moribus, aut doctrina expoliri, & ornari? præsertim cum mentis acies una apprehensione principiorum possit seipsam ex-*

citare, atq; ad eorum, quæ oriuntur ex principijs, cogitationem, cognitionemq; traducere? præterea ratio cupiditati imperare? Etenim, si eas nobis initio nostræ originis, ut cætera, quæ naturalia dicuntur, natura largita esset, non autem eam, quam diximus, liberam adipiscendi facultatem, essemus plane boni omnes: nec malus, flagitiosusq; Iupiter Saturni patris tempus aureum ære unquam inquinasset, qui nulla ratione istuc moliri potuisset. Vt enim eorum, quæ naturalia sunt, haud alia conditio esse potest, atq; ea, quæ sunt à natura instituta, nec dediscere, & obliuisci possunt leuia motum sibi naturalem, ac proprium, qui sursum est, nec grauia illum, qui deorsum, ita ad contrariam partem improbitatis homines sese nunquam deflexissent; nec ab ea, quam abijcere non poterant, excidissent probitate. Atq; hæc, quæ Peripatetici docent, probabiliora uidentur, quàm, quæ è philosophis cæteri protulerunt. Ea uerò, quam ipsi profitemur, philosophia multò uerior, ac sanctior asserit hominum animos à deo esse procreatos, procreariq; quotidie, qui apud Platonem nullum sui referunt initium, & multò secus, atq; hi dicant, qui naturæ omnia tribuunt, ab eodem, qui procreauit, ortu ipso excultos fuisse, & omnium uirtutum insignitos ornamentis; uerum hæc omnia hominem amisisse uitio, culpaq; deprauatæ uoluntatis; cui tamen relicta sit facultas recuperandi sola; labori autem huic perdifficili, & immenso præter reliquas erumnas, quæ subsequutæ sunt innumerabiles, pro contempto dei imperio addictum, neq; præterea minima ex parte damna esse resarcita. Neq; etiam, ut intelligeremus eius, qui primus omnium est à Deo procreatus, quam graue fuerit peccatum, cuius non is tantum, qui deliquit, sed posteri-

tas etiam omnis luit pœnas, istuc ipsum, qualecumq; est, ullo pacto possemus adipisci, nisi conatum omnem mortalium immortalis Dei benignitas maxima adiuuaret uel ad incipiendum, uel ad exitum usq;, quod quis inchoauerit, prosequendum. Quamobrem reijcienda est natura, nisi quatenus ad hæc acquirēda habiles nos effecerit: comparatio autem tum est eadem rerum omnium parenti, tum, ut est apud Hesiodum, studio, exercitationiq; tota fermè tribuenda: ut, qui eodem auctore poeta non absq; labore iter ad uirtutem confici uoluerunt, illi ipsi dij immortales facilè eundem mollire, aut leuare possint. M. autem Tullius Cicero omnino improbandus, qui à nobis Ioui habendam gratiam esse nullam statuit, quia boni efficiamur: semper enim in rerum effectione, procreationeq; uis est amplior causæ principis, quàm causarum illarum, quarum natura, atq; conditio ab illa tanquam fonte manare dicitur. Nec est, quod Aristoteles ambigat, summum'ne bonum deorum immortalium munere hominibus sit tributum, & concessum: habet, quos sequatur, si se ipsum audire uelit, Deo uim primariam mouendi reliqua tribuentem, & uatem illum, cuius auctoritatem in hominis statuenda conditione ad felicitatem comparandam sese accingentis approbauit. Atq; hæc de causis uirtutis huius, reliquarumq; effectricibus satis.

Quoniam uerò unaquæq; uirtus pro diuersitate aut affectuum, à quibus plerumq; huc, atq; illuc ferimur, aut eorum, quæ agenda proponuntur, quorum omnium est ipsa moderatrix, suis tanquam locorum angustijs, circumseptisq; quibusdam continetur, atq; munus illud proprium habet, quo in agendo (is enim harum omnium est finis) honestè, ac laudabiliter fungitur (uoluptatibus

enim quibusdam corporis frenum inijcit temperantia; mortem honestam in bello oppetere fortitudo cogit) sequitur, ut uideamus circa quae uersetur beneficentia. Ac, si sequi quosdam uolumus, intra spacia quaedam nimis angusta, aut non tam lata quasi uim afferentes, atq; inopem potius esse temere praecipientes concludemus. Non *multò enim amplius, aut aliud interdum ei dabitur, atq; id, quod* Aristoteli *placere dicet fortasse quispiam: qui, quae in scribendo interdum utitur, rationem minus animaduerterit.* Is *enim uideri poterit statuisse eandem esse rationem liberalitatis, atq; beneficentiae: qui, cum de liberalitate scriberet (nisi forte alterum pro altero usurparit) beneficum, inquit, quo nomine liberalem uult intelligi, haud facile esse, beneficio ut quis afficiat: nec, cum uirtutum seriem quandam constitueret, certumq; numerum, ac nomine ferè unamquamq; suo appellaret, huius meminit usquam: ut beneficum esse omnino uelle eum uideatur, qui rationis praescriptum in dando nequaquam egrediens alterum sola pecunia, aut his, inquit, quae pecunia aestimantur, iuuet.* Et *tamen uidetur posse aliquis promereri alterum beneficijs multo amplioribus, quàm, quae ex arca depromuntur.* Quod *enim beneficium est maius, quàm illud, quo oppugnatum capite, aut, cuius laeditur fama, iniustè praesertim, nostra tuemur industria? aut quae, si eundem sequamur, uirtutis auctori ab eo, qui beneficium tantum acceperit, merces aequa tribui potest? Socratem fuisse ait* X*enophon in omni re, & quouis modo tam utilem, ut ei, qui uellet id nosse, non multum laborandum esset.* Quare, *ut mea fert opinio, hac de re rectissimè hi senserunt, qui etiam ante* Aristotelem *uiderunt esse animi habitum quendam laudabilem, qui hanc omnem*

conferendorum beneficiorum rationem contineret: quem etiam nota uocabuli signauerunt. Hos imitati latini uerbum uerbo reddentes beneficentiam appellauerunt. Quanquam non sat cognosci potest, fuerit ne græcis ipsis habitus animi ea, quam 'ευεργεσίαν nuncupauerunt: sed putemus non latuisse homines doctissimos, quod nos ferè indocti, ac rudes paulò antè asseruimus. Beneficentiæ igitur latissima cum sit uis, & natura, dicamus in immensum patere huic uirtuti campum, atq; omnem illam facultatem, qua alteri prodesse quis potest, ab hac una comprehendi. Verum hæc ipsa ex his, quæ sequentur, clariora erunt, atq; explicatiora uobis: ex quibus illud etiam patebit, nihil esse, quòd aliqua re prætermissa, quæ ad disputationem illam de moribus pertineret, Aristoteles possit reprehendi: qui singularum uirtutum tractatione, eius quoq; uim uideatur explicauisse, quæ omnes illas complecteretur. Differt autem à liberalitate beneficentia; quòd liberalitatis uis multò est restrictior; beneficentiæ latior; altera continet; continetur altera: ad alteram pertinent beneficiorum omnia genera; ab altera tantum exigitur, quod largitione sola continetur aut pecuniæ; aut cæterarum rerum, quarum habentis propria est, ac legitima possessio. Deniq;, qui beneficus est, non idem omnino & liberalis: liberalitatis tamen loco beneficentiæ uocem interdum usurpare solemus: contrà uerò, qui liberalis, eundem necessariò beneficum esse dicas. Qua quidem in re Iouianus Pontanus uir & eloquens, & doctus redargui à nobis potest, qui ita uelit has inter se differre, ut liberalitas tantum pecunia iuuet, hæc opera. Aut damnandus Aristoteles, qui, quod potissimum est in moribus, prætermisent: aut, quod uerius est, beneficentiæ

centiæ liberalitas est pars quædam, tanquam totius: id quod uideo etiam placuisse Ciceroni: nam aut opera, inquit, benignè fit indigentibus, aut pecunia. Atq; haud quaquam ego negauerim, quia usus id postulet, liberalem magis dici, à quo ex arca beneficium depromitur: utrumq; tamen ad beneficentiam pertinet. Quamobrem uirtus hæc in omnium beneficiorum collatione collocabitur: Quæ quidem, ut ex his, quæ supra dixi, manifestum esse arbitror, nihil aliud est, atq; habitus quidam animi æqualis, ac moderatus, (hoc enim uirtuti omni commune est) quo de altero quisuis, quacumq; ratione potest, benemereri studet: idq;, ea charitate impellente, quæ unicuiq; debetur: rectè præterea, & prudenter: quod ipsum planè ad omnem actionem, quæ à uirtute proficiscitur, adhiberi necesse est. Hanc uerò rei huiusce descriptionem propriam esse ratio propè ipsa nomenclaturæ nos docet: iccirco enim beneficentia dicitur, quia bene potissimum indigenti fiat.

Quod quàm latè peruagetur, ac sese diffundat: quàm sit egregium: quàm laudabile: quàm gloriosum, satis quidem indicant, & præmia pro dignitate, saluteq; patriæ capitis ipsius periculo persæpe decertantibus constituta: & aut in Senatu, aut in concione orationes habitæ de uirorum laudibus charitate, & studio erga rem.p. ciuium uniuersorum beneuolentiam sibi conciliantium. Honores item ducibus, imperatoribusq; decreti: habitæ supplicationes ad puluinaria deorum pro re bene gesta: erectæ statuæ: triumphi dati declarant nihil esse uel uniuersis gratius, uel ad propagandam nominis memoriam efficacius, quàm, ut quiuis studeat reliquos mortales meritis, obsequijsq; promereri. An est cuiusquam uberior laus, quàm ea, qua Cæsarem in cœlum usq;

sustulit uir eloquentissimus in oratione, in qua ob Marcum Marcellum à senatu per ipsum actæ sunt illi gratiæ: ea tamen tota ferme à beneficio trahitur: quod etsi laudandum propterea, quòd ad unum Marcellum perueniret; multò tamen cum amplius, tum clarius apparebat; quia, priuatum cum esset, uideretur ad uniuersam rem. p. redundare. Adhortatio præterea illius ad eundem Cæsarem ad constituendam rem. p. uidetur bellicis laudibus, uictorijsq; omnibus anteferre patrocinium & dignitatis, & salutis patriæ: ex quo uera ipsi existeret laus: cum reliqua admirationis plus habitura essent, quàm gloriæ. Quam quidem gloriam minus fortassis habita aliarum ratione uni beneficentiæ summus orator assignauit: siquidem, inquit, gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum fama meritorum. Vidit hoc homo sapiens, & doctus: uiderunt & ante ipsum alij rerum humanarum naturam, conditionemq; contemplantes, nihil ad earum conseruationem esse æquè utile, ac necessarium, atq; hoc cuiusq; studium insigne, ac præclarum: quo qui flagrarunt, & præmijs eos, & honoribus amplissimis decorauerunt. Idq; iure quidem factum est ab ipsis, & prudenter: nihil enim ex omni probitate, quæ mirè est ferax, & multarum opum diues, reperias, quod sit homini æque aut necessarium, aut naturale, ac propterea tum optandum, tum enixè capessendum: quæ quidem ita esse probare contendam. Itaq;, id quod initio me facturum esse pollicitus sum, de altera uitæ ratione, quæ actione continetur, edisseram: ut, cum actio ferè omne genus officiorum, quæ ex hac uirtute deriuantur, complecti uideatur, hoc tanquam fundamento

iacto ea, quorum nobis cura est prior, nemine repugnante deinceps superstruere possimus. Prius autem dabitur aliqua uenia exultanti, ac propè triumphanti orationi in ea contemplatione rerum, quæ hominis præcellentem, ac propè diuinam indicans naturam possit uel ad altissima hebescentis aciem trahere in admirationem immortalis, præpotentisq; dei: uel ad cultum excitare languentem. Principiò illud quidem recipiendum est, quod & disquirenti, & immensam huius uniuersi molem, quæq; in ea continentur, contemplanti uerum esse cernitur, & pleriq; doctissimi homines libris editis rationibus comprobauerunt, nihil frustrà, nihil otiosum, nihil inane editum esse à parente omnium rerum, ac procreatrice natura: sed finem quendam suum omnibus esse propositum, ad quem ferantur, cuiusq; causa in lucem edita esse uideantur: porrò nihil hoc uerius, hominis causa cætera effecta esse, & condita: ad quem tanquam rerum omnium finem progressa natura tum demum quasi absoluto opere, perfectoq; ipsa conquiescit. Cœlum enim, quiq; in eo impressi sunt, stellarum fulgentium candentes globi, nisi uertigine sua ita ferantur, ut, ubi uergente ad imas, & australes mundi plagas solis sidere cuncta frigore obriguerint, deformataq; cœli totius facies morti quamsimillima fuerit, eiusdem sideris regredientis, uicesq; alternantis aspectus leni calore paulatim gelu constricta dissoluens uim in unoquoq; tum propagandi, tum augendi, tum alendi insitam non excitet; rerum omnium natura, quæ diutius id omne, quod uim affert, perpeti nequit, corruat omnino, & intereat necesse est: eadem uis inimica ardoris penitus perimeret: nisi calorem ad maturitatem frugum usq; excrescen-

tem alterius quasi cœli uicissitudo mitior, & clementior exciperet: qua herbæ, prataq; nimio æstu exarescentia reuirescunt: sua cuiq; elanguescens uirtus, ac uigor redit: animalia recreantur. Quis hæc intuens non uideat cœlum irrequieto, ac sempiterno motu ita ferri, ut ratione hac motus, & ordine alio, atq; ad se ipsum, relato (quippe cuius natura, ut expers non sit omnino interitus, si reyciendi sint Peripatetici, certè multò cernitur cum diuturnior, quàm, quæ loca inferiora occupauerunt, tum quasi constantior, & nulla ui repugnante, quæ bellum indicat, firmior) rerum earum, quæ oriuntur ex contrarijs, pugnantibusq; naturis, compagem his temporum uicissitudinibus tandiu seruet integram, & incolumem, quandiu uiuere, & esse unicuiq; naturæ præscripto est concessum? cumq; omnia, quæ ex mutua inter se elementorum coniunctione constant, morti obnoxia sint, ea in his diuersa, aliaq; ratione, atq; in cœlestibus naturis insit, quam omnia appetunt, ex alterius ex se procreatione, propagationeq; sequatur immortalitas: ut appareat uires, & astrorum motus hæc infima spectare, quorum naturas ipsa moderentur. Atq; hæc, quæ dixi, infima reperias omnia uni homini parentia. Nam quid de tot, uarijsq; herbarum, plantarumq; generibus loquar? quæ terræ solo ita se exeruerunt, ut cum esset, unde & aleremur, & ad ea, quibus sæpe conflictari solemus, mala auxilium nobis exposceremus, uitæ simul, & salutis nostræ rationem natura habuisse uideatur. Multa dici possent de ea, quæ, præter utilitatem, ab his ipsis percipitur, uoluptate: quam nullam ipsæ sentientes affatim nobis suppeditant tanta & colorum uarietate, & odorum copia, & diuersitate ipsa naturarum, ut, cum uim natu-

ræ maximam perspexeris, eiusdem ingenium, & quasi artem quandam, studiumq; simul admirere. Porrò ex metallorum fossione, & lapidum, gemmarumq; uaria, ac præcellente natura fructum uberrimum ipsi percipimus: quæ, sicuti pleraq;, nec ubiq; nascuntur, nec eorum leui labore comparatur usus; neq; enim, ut Poeta inquit, omnis fert omnia tellus: *fuit hoc, ut est in fabulis, Saturno quondam rege: quo tempore homines magis contenti ijs, quæ postulat naturæ necessitas, facilè poterant illa contemnere, quorum usus cupiditatis esse uidetur, non necessitatis. Igitur multa auro, & argento præsertim commutata, quæ aut parit natura, aut uariæ artes, atq; hominum studia excolunt, ex terris remotissimis ad nos importantur, siue sint aliarum rerum condimenta, siue adminicula, aut alimenta uitæ: alteriq; mutuò communicat alter ut plurimum communi quasi quadam mensura æquatis commutationibus; quam numum iccirco uocant, quia hominum arbitratu, & instituto tanquam lege constet. Neq; uerò (ut bruta quoq; hac oratione complectar) bos sibi ipsi in aranda, subigendaq; humo desudans ingemiscit: cuius seruitutis auctoramentum in primis est humanæ uitæ alimentum: nec bellator equus, nisi equitem, humeris uectat per medias acies uictor. Ac, nequid deesset eorum, quibus hominum commoda continerentur, transgressa penè præscriptos sibi natura limites mulorum genus confusum, mistumq; ex diuersis animantium naturis constituit: quod uel ipso teste Homero, qui mulos ταλαεργοὺς appellauit, ad clitellas ferendas, subeundaq; onera aptius esse uideretur: quasi prima, quæ tulerat, minus commodè istuc præstare possent. Quid de alijs loquar? longum utiq; esset omnia*

singillatim persequi uelle: quæ miti natura unà cum hominibus degunt,& aluntur. Atq; hæc sua sponte, aut non multa industria hominis imperium ferentia eius mirum in modum augere commoda, fortassis minus mirum ei uideri poterat, qui se ad alteram partem deflectens in ea intueretur, quæ immiti, præferociq; ingenio ab humani generis coniunctione, conspectuq; abhorrentia procul in desertis, remotisq; locis uitam solitariam degunt: quorum in multis atrox odium inter se, æternumq; bellum natura esse uoluit, ut, præter utilitatem, oblectamenta quoq; non deessent noua semper, ac recentia quærentibus uariarum condimenta uoluptatum. An est quicquam, quod aut ad exercitationem uirium corporis aptius sit, si adhibeatur modus, aut ad hilaritatem, remissionemq; animi, ubi consilia, negotiáue grauiora fatigatos pridem, oppressosq; mortales tenuerint, uenatione commodius? cuius uarietas tanta est pro numero, atq; diuersitate animalium, ut, cum ex ipsis nonnulla nobis conciliarit natura, unaq; sub eodem tecto & uiuere, & ali iusserit, odio, & ira in feras incenderit, pernicitate pedum ad insequendum hostem munierit, dentibus armarit, ex his uero, quæ nos tanquam hostes fugerent, animis infestis inter se, quales sunt aues nonnullæ, dimicare statuerit, hominis unius tum iuuandi, tum oblectandi miro desiderio flagrásse ipsa uideatur: quæ cæli hoc ambitu tot, tamq; uarias rerum pariendo naturas, tot figuras edendo toto studio, totisq; uiribus in idipsum incubuerit. Quorsum igitur istæc paulò longius à me explicata? nimirum, ut ostenderem rerum omnium, præter mentes illas, quæ ab omni contagione materiæ liberæ, sempiterna loca incolentes sempiterno æuo beatissimæ perfruuntur, homi-

nem esse præstantissimum, ad quem tanquam finem cætera referantur. Finium autem duplex est natura: aliorum enim ea est ratio, ut expetantur tantum, & quærantur ab his, quæ suapte natura feruntur ad ipsos: alij uero, quibus, quæ diuersa ratione loco finium sunt, ea ipsa parantur: uno, eodemq; exemplo utrumq; manifestum fiet. Sanitatem esse dicimus, quam corpus morbo aliquo oppressum, affectumq; & optat, & quærit, tanquam proprium bonum: quæ tamen unius corporis causa & à natura ipsa primo inducta, & post ab arte, seu facultate, ubi naturæ uires minus suppetunt, eiusdem adminiculo aut præsens conseruetur in ipso corpore, aut lapsa, amissaq; reducatur. Ex hoc genere finium hominem esse dicimus: illud prius reijcimus. Cuius imperio, ac potestati cum omnia subiecta esse, uitam tueri, commoda augere, oblectamenta tum animo, tum corpori comparare uideamus, quis negare audeat illius causa hæc esse condita, ac perfecta? An uero, ut cætera ad hominem referuntur, ita finem suum quoq; is sibi propositum habeat, & proprium, non eum quidem, quem Stoici agnouerunt; sed, quem tanti effector operis, quantum est hoc, quod cernimus oculis, ei præscripserit, dicetur inferius: abhorrere enim uidetur à ratione, dicere, hominis tanquam præstantioris naturæ causa reliqua esse, ipsum autem ad eam causam, quæ multo sit excellentior, nolle referri; & rei nobilissimæ, quæ procreata sit, nullum finem uelle statuere, suis terminis, et cancellis uilissima quæq;, atq; abiectissima coercentes. Illud uero nunc contendamus, quod & ij, quos diximus, Stoici affirmarunt, & ratio ipsa atq; experientia nos edocet, ut, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia procreari, uidere est,

ita uidelicet hominum causa homines ipsos esse natos; ut commutatione officiorum sibi inter se prodessent: quæ si tollatur, humana societas omnino intereat necesse est. Id uerò ne accideret, sapienter est à præstantiore natura prouisum, & cautum. etenim animal nullum uidemus, quod communione, coniunctioneq; sui generis mutua deuinciatur magis, atq; colligetur. Id'q; ut fieret commodius, & melius, homines rationis, atq; orationis participes effecit; ut altero cognoscerentur, quæ essent utilia, & necessaria, quæ'ue saluti & propriæ, & communi inimica, ac repugnantia; altero cognita, & mente prius, consilioq; discussa proderentur: ita altera res eget omnino alterius auxilio: nec potuit tam multarum rerum natura absq; ingenio, rationeq; perspici; nec sine oratione usus tradi. Atq; id unum ex omni genere animalium in ciuitates asciuerunt, ex quo ciuile animal appellarunt, insigni quidem certe, perhonorificoq; nomine. Nihil enim est in terris coetibus hominum inter se legibus, & communi iure conuenientium aut dignitate naturæ præstantius, aut uoluptate iucundius, aut etiam aspectu ipso pulchrius. Quid enim cum ciuitate rectè, ac prudenter instituta conferendum putes: quæ simul omnia complecti uideatur, & continere tanquam sibi famulantia: quæ natura uel ad speciem miraculi protulerit, aut ars effinxerit, effeceritq; ad humani ostentationem ingenij? Quæ omnia tum Stoicos impulerunt; ut homini nullum finem alium, atq; ipsum sibi assignarent: quem sibi parere uicissim alterum alteri uidebant; cum cætera tantum huic uni deseruirent. Quibus ut omnino ita sentiendum erat, tanquam cornicibus; uitam hominum animis præscribentibus, sic aliquatenus ignoscendum minus ea luce, quæ post

sequuta

ſequuta eſt, tum ipſorum mentibus illuſtratis. Quanquam cum grauiſſimorum auctoritas uirorum, tum uerò humanæ mentis contemplatio Dei præcellentem naturam referentis poterat ÿs patefacere ueritatem, facilè, ſi rem aliquantò introſpexiſſent, hanc ipſam aſſequuturis: qui aſſererent deorum nutu, prouidentiaq; mundum regi, atq; gubernari. Sed tamen eſt, quod laudemus: qui bellum perpetuum delicatioribus quibuſdam, turpiſſimisq; uoluptatum lenonibus philoſophis indicentes ſocietatem, communionemq; omnem diſſipantibus, dum non modo ſibi ipſis tantum degunt; ſed alios quoq; ad imitationem falſi cuiuſdam oſtentatione boni pelliciunt, nec ocio torpeſcere paſſi ſunt, nec deſidia langueſcere: ſed ad labores, honeſtiſſimaq; ſtudia nos excitarunt: rem. p. capeſcere; pro patria decertare; in parentes pietatem exercere; neceſſariorum utilitati conſulere; amicorum negotia fideliter ſuſcipere; omnibus deniq; prodeſſe uoluerunt: in quo prope uno, quia ſit hoc ipſum conſumatæ uirtutis opus, ſummum bonum neceſſariò ipſi collocarunt: cuius quidem ſummi boni cum homo ſolus ex omni genere animantium particeps ſit, iure tum ad hunc unum referri omnia; tum, quia abſq; mutuæ operæ ipſius hominis adminiculo non facilè poterat id acquiri, alterum alterius ortum ſibi uendicare cenſuerunt. Quare, ſiquis diligentius horum conſideret de eo, quod diximus, bono ſententiam, inueniet illud idem uoluiſſe hos aſſerere, quod paulò accuratius animaduerſis aliorum erroribus Peripatetici explicauerunt. Quis enim non uideat in ſcholis diſputantes Philoſophos, ad preclaras actiones alios incendentes, deterrentes autem ab inhoneſtis; præterea dicentes hominum cauſa homines ipſos genitos eſſe, ac natos,

uelle supremum bonum non in possessione, sed in usu, uirtutisq; exercitatione collocare? satis quidem, ut id omitterent, quod à quouis facilè intelligi poterat, fuerunt solo uirtutis contenti nomine; quam amotis impedimentis inertem nunquam fore iudicauerunt.

At quantò cum absurdior, & à ueritate alienior; tum uerò turpior, et, quem hominem appelles, non belluam potius, indignior cernitur Epicurus. *Cui tantum abest, ut, quod impiè, sceleratéq; uult* Lucretius *ineptiarum huius, deliramentorumq; stultus admirator, ex recepta salute quicquam debeat humanum genus; ut etiam, qui perniciem maximam, mortemq; teterrimam inuexerit, omnino execrandus sit, supplicioq; mactandus.* Tollit *enim ueri inuestigationem, cognitionem omnem rerum, luci tenebras offundit; peruertit omnem rationem officiorum, uitæ consuetudinem; lumen humanæ mentis uoluptatum tanquam fœdissimo diluuio turpiter extinguit ea uox huius non Philosopho modo, sed ne homine quidem quantumuis ignauo, mollíq; digna,* λάθε βιώσας*, hoc est, ita uixeris, ut nemo sentiat te uixisse. Quam si idcirco emisit, ut se gloriæ contemptorem ostentaret, certè potuit in eo laudari, quòd falsam, ueréq; inanem gloriam ex turpi commento uideretur aspernari, imprudens tamen stultæ sapientiæ dissimulator; qui, qua ratione negligit, ea ipsa, id est inscriptione nominis turpiter captare uideatur. Sin, ut libidinum suarum, uoluptatumq; minus honestarum, quas undecumq; nos expiscari iubet, (id quod magis eum uelle suspicari libet) testem nolit adhiberi ullum, quò possit liberius suo abuti bono; uerecundiusculè agit: qui, ut scortum quantumuis impudens obscœna semper in ore habens, uerbisq; iactitans tegit tamen; nec, quæ honestius auribus*

putat posse committi, oculis sat decorè subijcienda censet, sic in cubiculis obtectus parietibus cupit ea facta delitescere, quæ sola bona ducit, atq; expetenda. Horum utrum malit, accipiat: *planè & refellendus est, & maxime improbandus.* Alterum *enim bona multa ex se profert, eaq; interdum ingentia: alterum, quod statim uidetur cum uitio intemperantiæ coniunctum, mala.* Contemptus *laudis, si* Philosophos *sequimur, non uni tantum adimit, quæ utilia sunt, aut præclara; sed toti etiam ciuitati: interdum etiam uniuerso propè terrarum orbi ad beneficia maxima aditum occludit: quæ diuina humani uis ingenij studio plerumq; gloriæ excitata parit; siue ea sese applicet ad contemplationem diuinarum, humanarumq; rerum; siue multarum artium exercitationem uiliorum; siue ex honesto ocio hominem ad regendæ ciuitatis honestissimum laborem traducat.* Nunquam Aristoteles, Plato, *multiq; alij se in hoc pulcherrimo studio perquirendarum rerum exercuissent; tot scripta, à quibus fructus existit uberrimus, posteritati reliquissent; nisi non ea modo, qua uiui perfruebantur; sed alia etiam eorum uitæ limites longè excessura gloria eos ad philosophandum compulisset.* Neq; Phidias *tam affabrè didicisset nomen suum operi intexere; nisi antè laudem ex labore concupisset.* Non *diutius fuisset populus* Romanus; *aut pòst nũquam esset rerum omnium potitus imperio; si primò* F. Camillus, *cui præter seruatam, liberatamq; consilio, manuq; forti patriam, non minor fortasse ex noua, insigniq; alterius appellatione* Romuli *secunda accessit laus: dein imperatores alij, ducesq; clarissimi spreta omni laude latuissent ignoti: quorum egregiæ uirtutes totum fermè terrarum orbem romanæ ditioni subegesset*

runt. Nimirum *fuit semper ad omnem præstantem actionem stimulus ingens gloria: quæ nec omnino abijcienda est à nobis, utcumq; immortalis dei præcedit amor, qui ad honestatem inflammet inertes.* Hanc qui penitus *respuit, illud quoq;, quod plerumq; eius cupiditas efficit, uidetur uel nolens aspernari.* Voluptatis *autem amor, cuius causa maximè abdita quæq;, tutissimaq; loca conquirantur, & turpissimus est, & cuiuis maximè abbominandus: qui non tantum ijs beneficijs spoliet, quæ laudis aufert contemptus; sed tantorum sit malorum auctor, ut nulla hominibus pestis hac capitalior esse possit: præsertim si adhæreamus* Epicuro, *statuamusq; summi rationem boni hac una contineri. Quid enim mali non agent homines? quod genus scelerum oderint? à quo se flagitio abstinebunt, si ijs persuasum erit, uoluptatem, ad quam natura feruntur, quamq;, tametsi malum esse fortasse norunt, quamplurimi tamen inhiantes persequũtur, paucissimi magno cum labore repellunt, esse tanquam bonorum omnium supremum expetendam? quæ uulnera excipient pro defensione pietatis, ac iustitiæ; qui dolorem, ut summum malum iudicantes, detestabuntur? quo pacto temperantes, casti, moderatiq; esse poterunt, qui omnifarijs delibuti, perfusiq; uoluptatibus partem nullam corporis unquam oblectatione carere uolent? Quî liberales; qui, ut habeant, quo sibi bonum id emant, quod unum planè & purpura in primis, & auro uenale est, tantum abest, ut quicquam alteri de suo dent, ut etiam libenter accipiant ex alieno; interdum, si propria exhauserit uoluptas, alteri quod suum est, auferant? In forum'ne alicuius amici causa prodire uolent aduocati? in concionem re.p. auxilium implorante uenire? qui laborem omnem re-*

formidantes, ne'ue sibi

Teneras glacies secet aspera plantas,

desidiæ, ocijq; amantes ex uoluptatum ergastulo ne pedem quidem proferre audebunt? quibus uel eius, quem ducem sequuntur, decreto uita sit in tenebris perpetuo traducenda? An beneficos speres fore, quos uideas omnia ad sua ipsorum commoda referre; nihil unquam aliorum causa uelle? Deniq;, qui hanc execrabilem uiuendi rationem, quam Epicuri uidetur afferre sententia, probat, cogit nos procul ad remotos lucos, siluasq; reuerti: unde initio ipso, quale Orpheum legimus præstitisse,

Mulcentem Tigres, & agentem carmine quercus,

uiri & ingenio, & consilio præstantes ante receptam sapientiam, nulla lege, nullo iure, nullo cultu, nulla amicitia, more ferarum degentes in urbes, tectaq; deduxerunt: deumq; ipsum, aut naturam ducem imitati eum consensum, & ordinem, qui in omni rerum natura cernitur admirabilis, ad conuentus hominum traxerunt. Sublata enim omni honesta, laudabiliq; actione, ratione'q; in eam delitiarum tanquam sentinam penitus demersa, unde nullis unquam extracta manibus queat emergere, statum omnem rerum humanarum collabi, atq; interire necesse est.

Quamobrem ad Stoicos reuertamur: quos ex philosophis æquum est nos potissimum, qui de beneficentia loquimur, & probare, & sequi. nulli enim ex omnibus uidentur uirtutis huius uim aut melius ipsi percepisse, aut cæteris eam indagare uolentibus clarius indicauisse. Nam, qui deorum maiestate dignius, quàm beneficentiam, nihil esse censuerunt: quiq; hominis non aliam procreationis causam, atq; hominem ipsum, esse dixerunt: eas præte-

rea uiuendi leges illi præscripserunt, quæ inertem nunquam esse paterentur; res omnes, & publicas, & priuatas magno studio, curaq; tueri uellent; amicitiæ multum tribuere; ferre opem miseris; arcere à quouis iniuriam; bonos extollere, & complecti; improbos autem odisse, atq; ab aliorum conspectu depellere; satis, opinor, & uirtutis huius natura qualis esset, quàm latè patens, & diffusa; &, quo beneficum quis maximè præstare se posset, quodnam institutum uitæ probarent, ipsi declararunt. Ac, licet contemplantis beneficia possint existere in reliquos homines amplissima, ea tamen, quæ confert is, qui actionem amplectitur, cum illustriora uidentur esse, tum uerò magis necessaria ad salutem, conseruationemq; rerum. Quid enim tam clarum, tamq; necessarium, quam uniuerso terrarum orbi iura præscribere; leges condere; rectè uiuendi instituta tradere; collocare homines in ciuitatibus; retinendæ, conseruandæq; societatis modum, rationemq; explicare: hoc beneficio nullum reperias nec utilitate maius, nec honestate laudabilius, nec diuturnitate stabilius: hoc genere hominum cœlum refertum: hos diuinis, immortalibusq; reliqui mortales complexi sunt honoribus: his templa, & aras consecrarunt: ex quo poeta Horatius.

Romulus, *& liber pater, & cum* Castore Pollux
P*ost ingentia facta deorum in templa recepti;*
Dum *terras, hominumq; colunt genus, oppida condunt.*
Hinc *primum, opinor, prouerbium illud uetus:*
Homo *homini* Deus.

Quod *tamen nulli & iustius, & uerius competit, quàm* Christo: *cuius in humanum genus tot, tantaq; beneficia extiterunt, ut neq;*

animo concipi, neq; oratione ulla explicari posse uideantur: in cæteris autem aut adumbratæ ueritatis uestigia reperias, aut ex fauore plebis adulationem leuem. Ac tametsi ad utrumq; munus & contemplandi, & agendi homines sunt à deo instituti, ac formati, ad alterum tamen, quod in administratione rerum positum est, magis eos trahit cum naturæ ipsa ratio: tum etiam necessitas: præterea dignitas, conditioq; rerum humanarũ. De quo quidem ut hoc in loco paulò accuratius loquar, rei institutæ ratio me impellit: multo enim plura ad beneficentiam adiumenta suppeditat actio, quàm contemplatio. Prius autem cum Epicurum refellere placuit: qui, cum actionem oratione sua tolleret, beneficentiam quoq; tollere uidebatur, tum stoicorum quadam tenus approbare sententiam: quæ & in eo, quod in primis quærimus, nos adiuuaret maximè, & tanquam testis locuples nostræ, quæ mox futura est, disputationi de actione faueret. Igitur illud omnes norunt, & nos suprà uisi sumus astruere, in omni natura, quæ sensu comprehenditur, nihil homine neq; perfectius, neq; præstantius inueniri. At hoc Peripateticis minus placet, quibus uidetur nobilior esse natura stellarum. Quasi aut uera sint omnia, quæ ipsi: aut falsa, quæ reliqui protulerunt. Mihi uero, ut etiam careamus multò potioribus, uerioribusq;, Mose in primis, reliquisq; nostræ classis hominibus, quos sequamur, Mercurius Trismegistus multò Aristotele Peripateticorum principe antiquior conditio hominis qualis esset, uidetur & ipse melius cognouisse, & posteris etiam explicatam reliquisse: qui, siue id à Mose (fuit enim Aegypti rex, ubi olim extitit memorabilis, sapientiaq; clarus) reliquis ue, qui antè esse potuerunt docti, &

eruditi uiri, didicerit: siue acie ingenij ipse peruiderit; primus, opinor, (siue quis alius fuerit) nouo nomine hominem μικρόκοσμον appellauit propterea: quòd mentis diuinæ quædam uis inclusa in angusto corpore uideretur deum ipsum imitari: qui ut hanc uniuersam molem mouet, ac regit; sic hæc, tanquam nauiculam quandam, humanum corpus: quarum quidem coniunctio naturarum cunctis præferendam efficit, præcellentemq; naturam, ijsdem fungentem muneribus, quæ naturæ principi tribuuntur.

Horum alterum est contemplatio; actio alterum. Hoc nunquam à Peripateticis exprimetur ei liquidò contemplationem tantum relinquentibus, homini autem actionem etiam adiungentibus. Quasi aut nihil agat deus: qui, quæ procreauit, summa ratione, sapientiaq; gubernet: aut ab eo auferenda sit actio; quia ad functionem sui muneris non ijs utatur instrumentis, quæ homini prorsus sunt necessaria ipsa ratione naturæ. Quòd si, ut & Stoici asseruerunt, & à nobis uel Peripateticis ipsis adiuuantibus in hac ipsa disputatione suo loco nonnulla in hanc sententiam disputabuntur, dei consilio, quicquid cœlo continetur, concedamus moueri, uegetari, nasci, atq; interire; utiq; agit necessariò: quo quiescente, nihilq; agente rerum omnium natura corruat, & subsidat oportet. Quantò uerò magis possumus nos id tueri, qui hæc nata esse dicimus, & fatemur? rerum enim procreatio secum quoq; fert studium conseruationis earum: nec unquam, quos genuit, pater dimittit liberorum curam; ne pereant auxilio destituti: nec deserit lucri causa extructam nauem gubernator; ubi uentis eam commiserit: secus hanc præcipitem pelago undante eò ferri necesse est, ubi tanquam ludibrium irati maris scopulis illisa demergatur.

gatur. At is agere dicitur, qui consulit: qui disquirit: qui praeterita ad exemplum repetit: componit praesentia: futura prospicit. hoc dicunt, qui sensu ferè solo deum metiuntur: aut qualem Epicurus, qui ei quoq; consulendi laborem omnem adimit, hominem fingunt fortasse: minusq; uident rationem hanc esse imbecillioris naturae, qua haec aliquid agit. mens autem corporis huiusce tenebricoso carcere sepulta, atq; sordibus obsita materiei magno cum labore officio suo fungitur: necesseq; habet ex antecedentibus quibusdam colligendo rei alicuius, quae antè nesciatur, scientiam comparare. idq; adeò fit, quòd eget sensuum adminiculo, quibus tanquam foribus quibusdam peruijs ad ipsam omnia deferantur. Dei autem aeterna mens simplex maximè, perpetuoq; libera ab omni concretione mortali, reliquarum mentium & origo, & fons, quae, ut etiam acutissimè uidit Aristoteles, exclusa omni tempore nec potest meminisse praeterita, nec futura prouidere, admirabili quodam modo, ineffabiliq; cuncta comprehendit: quare & ita etiam consulit, ac agit: quaeruntur'q; temere, quae suppeditentur ei ad agendum instrumenta: quae, cum nullum adhuc instrumentum esset, tantam molem ex nihilo procrearit. aut discant Peripatetici, qui hoc negant, cur nihil agat, quem constituunt principem, & auctorem omnis motus: quo in primis harum rerum naturam subsistere uoluerunt? immo omnia agit: qui in causa est, ut caeterarum naturarum unaquaeq; suum expleat munus. Non secus, atq; gubernator: qui, cum praeceperit reliquis, qui sunt in naui, malos alij scandant, uela alij funibus trahant, atq; distendant, alij sentinam exhauriant, ipse autem in puppi sedens nauem regat, agere omnia, moderariq; dicitur; quia sit & totius

itineris dux, & omnium, quæ agantur, auctor. Porrò non ea tantum natura, quæ cernitur oculis, quæq; corporata est; sed etiam, quæ caret corpore, nec potest sensu ullo comprehendi, tanquam instrumentis utitur is ad effectionem, dispensationemq; rerum: cuius potestas sit libera agendi quæ uelit; eademq; immensa, atq; infinita cernatur: secus impius est: qui cum Peripateticis falsum autumantibus sentiens statuit aut fati quadam necessitate alligari, aut fini, terminoq; concludi. Hic nunc accipio *Peripateticos ueteres illos, qui se totos Aristoteli principi addixerunt; non autem eos, qui post sequuti, nomine tantum se Peripateticos esse mentientes, sententia Platonici uideri maluerunt. Iamq; Theologi ipsi, qui futurorum prædictionem eam, quam ex inspectione siderum Astrologi instituerunt, non ita, ut eos, qui nimis temere ariolari uidentur, damnant, reijciuntq;, cœlum ipsum esse dixerunt instrumentum dei uoluntatis. Actio igitur tribuetur summo opifici, ac procreatori deo: quam sibi tum magis uidetur asciuisse naturalem, ac propriam; quum sola bonitas rei immensæ, & ipsa quoq; immensa ad maximi, pulcherrimiq; operis effectionem traxit, infinitis autem temporibus, cum nullum adhuc tempus esset, nec quicquam foras ab hac mente omnium tanquam receptaculo, fonteq; formarum promanasset, contemplationi, quàm actioni, similiorem: quæ illic fixa quasi in seipsa resideret. Quamobrem unà cum reliquis rebus esse hæc cœpit; estq; ab eo, qui omnia condidit, instituta. Homini uerò hoc magis uidetur naturalis esse, quam deo; quia naturam hominis institutam necessariò istiusmodi & ipsa consequatur. In tanta enim diuersitate naturarum, quæ corpore omnes præditæ sunt, hominem tan-*

E

tum deus esse uoluit, qui, ut inquit Moses, ratione naturæ factus ei propior, factis quoq; parentem imitaretur: ut, quemadmodum, quæ primò mundum peperit, bonitas ad rerum regimen illum sola protraxit, nec nisi prodesse potest, à quo abest omne malum, sic hic præclarissimo eiusdem exemplo beneficentiam in terris coleret, quam Deo in primis referret acceptam. Præterea magis fortasse propria, quam sit contemplatio, quia magis necessaria: quicquid enim est necessarium in rebus initium sui aliquod referentibus, hoc uidetur esse magis naturale, quò ui necessitatis maiore continetur: causasq; rerum inquirere uolenti apparet studium naturæ fuisse in eo maius, quod esset tale; neq; hanc quicquam fecisse, quod non exigeret necessitas cuiusq; aut utilitatis, aut tuendæ dignitatis. Porrò homini, quatenus homo est, hoc est animal particeps rationis, atq; sapientiæ, quod non, ut Plato uisus est aliquando asserere, mente sola terminamus, sed ex hac, & corpore naturam quandam dicimus esse constitutam, nihil æquè necessarium ad sui conseruationem, atq; actio: quare & naturale. Quot enim rerum adminiculo egeat imbecillitas humana & uidemus ipsi, & quotidie experimur: quæ nisi consilio, studio, industriaq; prouideamus, eam utiq; necesse est labefactari penitus, atq; interire. Cæteræ quidem animantes leui labore, curaq; uitam tuentur sibi adscriptam, ac datam à natura: quibus uerius, quàm agricolis in excolendo agro sæpe occupatis, desudantibusq;,

Fundit humo facilem uictum iustissima tellus:

nec uexat tot febrium cohors grauis; quæ minus aut obrigescant frigore, aut calore exarescant, aut pluuialibus austris uires eneruantibus elanguescant. Homine uerò, si omnia hæc spectes,

οὐδὲν Homeri testimonio ἀθλιώτερον ἄλλο. cui tamen tot ęrumnas stulta, turbulentaq; ipsius consilia attulerunt: quæ si reiecisset, nunquam à tanta decidisset dignitate, in qua initio sui ortus fuerat à suo conditore collocatus. Hic uerò idem tam miserabilis, deflendusq; casus non eos modo, quorum Moses meminit, labores tulit: sed mala etiam multò grauiora inuexit, quibus animi hominum grauiter conflictarentur, & plerumq; etiam æternæ morti damnarentur. Ad quæ gentium omnium, urbium, regnorumq; conseruandorum causa salutaria adhibere remedia & necesse fuit, & magni in primis ingenij, perfectæq; uirtutis opus: quæ non contenta parietibus animum contemplantis aleret rerum solam scientiam cupientem, & quærentem: sed tanquam totius orbis prodiret in theatrum, seq; in oculis omnium gentium, nationumq; collocaret, desidiam, quæ teste Horatio est improba siren, deuitans, labori sese dedens, aut etiam ultrò occurrens negotijs: quæ uerius, quàm, qui stuporem dixit, eorum beneficiorum esset auctor, quæ Georgius Anselmus Nepos nostri temporis poeta clarissimus eleganter, & grauiter cecinit.

Pepulit ferociam plebs statim rudi ab animo hebes,
Didicitq; quid decor postulet, & ratio sibi,
Mœnia ui tuenda summa, populo etiam, etiam
Vetitis supplicia dedere merita sceleribus,
Desultoria quoq; legibus coercita Venus est:
Vasta tentata tum primum rate maria.

An, si ad portas sit Annibal, studio cognitionis rerum erit cuipiam deserenda salus patriæ? aut imminentem cladem poterit, uelut Archimedes, sola figurarum in tabula descriptione propul-

sare? ergo, aut, quod eidem contigit Archimedi, *unà cum reliquis ciuibus interibit; nisi senatum cogat, populum ad arma uocet, uementi hosti ipse dux, & antesignanus occurrat: aut erit impius, qui non studeat seruare, pro quibus uita sit ei profundenda. Quæ ciuitas erit, aut hominum societas ulla, si nullius ad rem. p. accedat industria? nemo leges instituat? nemo iura ministret? qui uxorem, liberos, remq; omnem familiarem tuebitur? qui deniq; se ipsum alet, incolumemq; seruabit, qui prætermissa rerum maximè necessariarum cura, actioneq; contempta totum se contemplationi dedet? Cui tamen ipsi haud omnino bellum indictum uelim, quia sit in otio ipso omnium pulcherrimum, honestissimumq; negotium: non enim semper agas necesse est: nec, si uelis, semper possis, & plerumq; incidunt tempora, quibus agendi facultate sublata quiescere, & à laboribus cessare cogimur: quum id accidit, aut alio quouis modo ab hisce muneribus datur aliqua uacatio, tunc neq; laudabilius, neq; iucundius otio perfruimur: prorsusq; aliter euenit, atq; ille poeta sentiat: bene enim hoc pacto bonæ horæ collocantur.* Licebit *fortassis non minus, quàm in altero,* Marcum Tullium Ciceronem *imitari: quem neq; commoda, & salus amicorum, quos semper opera sua subleuauit; neq; totius orbis terrarum administratio in ipso consulatu impediuit, quominus ea ipsa consilia, & rationes, quas in regendo imperio retinuit, & seruauit, in sex eius de re. p. libris grauissimè, eloquentissimèq; explicarit, commendaritq; immortalitati: quorum nomen tantum ad nos peruenit, reliqua utinam haberemus. Sed & illud alterum, quod in agendo positum est, affirmo magis necessarium uideri, quòd ab hoc seorsum ui sua possit præclarè con-*

sistere, nec eius, quod contemplanti suppeditat, ullo egeat adminiculo: & , quoniam inde maior homini constat utilitatis ratio, beneficentiam, quæ maximè id præstat, potius eo ipso contineri: ex quo planè sequi necesse est, nihil hominibus magis esse secundum naturam, quàm alterum iuuare. Atq; *actionem quidem & origine, & necessitate ostendimus in homine maximè naturalem uideri: restat modo, ut hoc ipsum alia ratione comprobemus: ea autem tota ducetur ex ipsa animantis naturæ conditione, quam sapientissimus artifex ita instituit, ut ad id munus obeundum quamaptissima esse uideretur.* Illud *autem manifestum cuiq; esse arbitror, nihil horum, quæ aut natura parit, aut naturæ ars imitatrix effingit, superuacaneum uideri, nihil, aut perpauca inueniri, quorum ratio illa, quam finem uocant, inuestiganti, rerumq; latentes causas indaganti perspecta non sit, & cognita.* Itaq; *quod est de toto animantis corpore, idem de partibus eiusdem censendum: ut enim animantium nullam inertem natura procreauit, ita membra earundem, partesq;, ex quibus corpus integrum conflatur, munere funguntur proprio, eidem corpori deseruientes, ipsiusq; tum uitam, salutemq; procurantes, tum uerò in explenda functione adiuuantes.* Huius *rei scientiam consequi non potest, nisi, qui aut philosophorum, aut medicorum exactam, ac propè absolutam de ui, consilioq; in omnibus naturæ rationem continentes libros diligenter euoluerit.* In *manibus est liber* Lactantij *Firmiani docti, atq; eloquentis uiri de opificio dei; in quo multarum partium humani corporis rationem grauissimè, accuratissimeq; persequitur: quod & si in omnibus animalibus uidere possumus, nec ullum in ipsis membrum reperitur, quod officio*

proprio uacet, de homine tamen solo disputationem instituit, quia id omnium animalium sit perfectissimum: quamobrem de opificio dei liber inscribitur: nihil enim eorum, quæ à deo condita sunt, potest inueniri, quod uideatur aut eo nomine dignius, quo signatur angustus, breuisq; mundus, aut opifici ipsi similius. Quòd si horum, quæ cum belluis homini sunt communia, nihil ratione uacat; facultatemq; suam ad totius corporis perfectiorem formam, statumq; cuncta conferunt, & exercent, (secus enim si fiat, imperfectum illud, & præter naturæ ipsius decretum, ac præscriptum mutilum esse necesse est) quantò fuit & æquius, & procreatoris tum prouidentia, tum maiestate dignius, cum animal ex diuersis pugnantibusq; inter se naturis, ut reliqua quoq;, compactum uellet alijs multò præcellere, hominem ipsum tanquam feriatum, inertem, nihil agentem, prorsusq; inutilem in tanta rerum uarietate, & copia, ex quibus ferè omnibus fructus aliquis percipitur, noluisse progignere & imperantem cæteris, & cuncta se inferiora ditioni suæ ea, quæ sibi propria est, facultate subijcientem. Itaq; munus ipsius proprium reliquorum officijs tantò est præclarius, quantò magis illa dignitate exuperat, & antecellit. id autem non aliud esse uidemus, atq; illud, quod est cum ratione coniunctum. Rationis uerò eiusdem duplex functio est, agendi altera, altera contemplandi: nisi malimus uocem hanc, quæ græcè λόγος dicitur, alteri parti mentis assignare, in qua capiendi consilij uis omnis inest: ut ratio mentis sit illa functio, quæ ad agendum hominem instruit: magis enim ratione uti eum solemus dicere, qui iustitiam, temperantiamq; colat; qui prudenter aliquid agat; quiq; & sibi, & alteri consulere, & cauere norit,

quàm, qui animo cœli magnitudinem metiatur: sed statuamus mentis nomine rationem quoq; designari: nihil enim, aut parum refert, quo nomine res quæuis appelletur, modo ne uocabuli nota obscurando obturbet cognitionem ueri. Planè uidentur homines ad actionem hòc magis à deo esse instituti, quò tum pluribus huic muneri deseruientibus, tum etiam fermè accommodatioribus, quàm contemplationi, mentem is obsepiuit, circumclusitq; membris: quibus ad ea perficiunda, quæ iuberet ratio, tanquam instrumentis uterentur: contemplatio enim ocio, solitudineq; gaudens sensum etiam propè ipsum uidetur auferre quiescenti: nedum pedibus, manibusq; egeat ad cursum. Mens autem, quæ contemplatur, hòc melius officium suum facit, quò se plus abstrahit à corpore: cuius tantum beneficio utitur ad ea excipienda, quorum scientiam pòst ipsa sibi efficit: secus uerò, ubi plus sese occuparit sensus, ibi minus relinquitur ad contemplationem loci: ast altera non animum tantum, sed partes etiam propè corporis omnes exercet ad laborem, nec sine his uidetur se posse tueri. An miles esse poterit, cui nerui podagræ ui, artusq; ita obtorpuerint, ut ne pedem quidem, aut manum lecto dimoueat? an sat idoneus imperator, qui obequitando locum non possit ad castra locanda opportunum explorare? aciem instruere? ipse, si prælium paulò atrocius cogat, cum hoste depugnare? An orator, cui omnino impedita sit ad emittendam uocem lingua, aut blesa; ut, uelut infans, moueat concioni risum? quantus esset membri huius, sine quo oratio nulla esse potest, oratori usus, declarauit Demostenis labor naturæ culpam studio indefesso emendantis. Deniq;, si totam formam, habitum, statumq; corporis humani contemplemur, si rationem

quæramus; si spectemus usum, reperiemus homini esse hæc tribu-ta ad necessitatem magis agendi, quàm ad otium contemplandi.

Est igitur actio unius hominis propria, non brutorum. Quæ quanquam uidemus & sibi, & his, quæ genuerint, prouidere; ad uictum necessaria quærere, inimica deuitare; ea moliri; quæ in quibusdam ipsorum humani propè ingenij speciem quandam præse ferant, nemo tamen dicet agendi facultatem esse illis datam: sed potius naturali quodam instinctu genus suum unumquodq; tueri, salutemq; sibi procurare. Nulla enim actio est, quæ finem aliquem tanquam scopum itineris sibi non antè proponat; quò qui uult perduci, uias eum indagare oportet, quæ illuc properantem ducant: facere autem hoc nequit, cum sint plerumq; multiplices illæ, & uariæ; nisi rationem ad eas ducem sequatur: ex quo consilium in primis institui est necesse. Porrò consulentis animus ea disquirit, quæ dubia sunt, & incerta; præterea, quæ in ipso consulente sita: disquisitio autem ea ui animi efficitur, in qua ratio certè inest: hæc ubi nobis cognita fuerint; statim ea ipsa persequimur, perficereq; conamur; quæ prius discussa nos ad id, quod initio nobis ipsi proposueramus, habendum perducunt: hoc modo constat, absoluiturq; actio ea, qua de nunc loquimur. In qua quidem uelle inest propterea, quòd ad finem præstitutum referatur; cuius finis proprium est uelle: ut ea tantum dicantur agi, quibus uolentis animus, quæ aut sunt solida, ueraq; bona, aut speciem, atq; imaginem bonorum præbent, sibi possit ea comparare: etenim uelle ipsum non est nisi cum ratione coniunctum: nec temere ad ea expetenda rapitur, ad quæ sese ipsi obijcientia collimet: hoc bruta faciunt, quæ sensus tantum pellicit, ut ea con-

cupiscant; quæ sua ipsorum conseruandorum causa ut quære-rent, non ratio, aut consilium edocuit, sed admonuit natura.

Itaq; nihil homini æquè naturale, necessariumq; est, atq; actio: præterea ad colendam beneficentiam tam aptum, tamq; bonorum ferax: hac enim priuata augemus; moderamur publica; aliena fouemus: hac liberos instituimus; parentes complectimur: à qua sanè uitium, atq; improbitas omnis abest. Nec, *cum de actione hîc loquimur, illa uolumus complecti, quibus improbè de-linquimus, & à recta ratione, consilioq; aberramus: tametsi in fabulis illa dicuntur agi, quæ turpia, & nefanda esse nemo non uidet, qui adsit rerum fictarum ociosus spectator.* Eius autem, *de qua præsens est disputatio, moderatrix est prudentia: à qua salus omnis, atq; ea, quam possumus assequi, post deum, felicitas profi-ciscitur.* Contrà *uerò uitio coniuncta temeritas omnia labefa-ctat, & conuellit; estq; maximè contra naturam: quæ cum eius ordinis, quem rebus adiecit perpetuum, & constantem, apprimè est conseruatrix, tum inimica uitio; quod id tollat, atq; interimat opus, cuius sit ipsa aliquo modo parens, & effectrix; quodq; & esse, & uiuere concupiscat: rectum enim, & sapiens iudicium rerum agendarum corrumpit improbitas: hoc fœdissimum detri-mentum statim sequitur interitus eius actionis, quæ est maximè secundum naturam, quamq; in optimis haberi necesse est.* Quæ *uerò huic contraria est, ueluti neq; id, quod perniciosè, pestife-req; sciscitur in populis, legis nomen attingit, minus fortasse actio dici potest; quia, ut uitium etiam, à quo hæc oritur, morti similior esse uideatur; quæ, quod est, nihil ut sit, efficit.* Præterea, *cum natura nihil statuat mali, bonum autem id sit omne, cuius ipsa sit*

auctor, actionem utiq; quam maximè naturalem esse ostendimus, non nisi cum honestate coniunctam esse necesse est. Istuc ipsum *etiam ratio ea comprobat, qua dicimus finem spectari ab actione suum; hunc autem esse aut solidum, aut apparens bonum: id cum natura illud antecedat; quod post malitia inuoluit fallaci integumento boni, illam etiam, cuius finis alterum antecessit, & re, & uoce prius extitisse oportet: ut actionis solo nomine, nisi addamus improbam, semper eam, quæ sit ad conseruationem rerum necessaria, quæ laudabilis, quæ naturæ consentanea, intelligamus.*

Quod autem præter hanc uitæ rationem, itemq; alteram, *quam in contemplatione positam esse diximus, non sit tertium quoddam genus, aut plura, quæ homini assignata esse uideantur, duæ possunt afferri causæ.* Harum altera est diuersitas *ipsa rerum; altera, eaq; posterior, conditio animantis huius, & natura.* Rerum *namq; aliæ principiorum suorum naturam consequuntur; ut, qua illa, eadem hæ quoq; necessitate contineantur, eundem semper cursum, institutumq; tenentes: qualia sunt potissimum, quæ natura constant: aliarum uerò pro conditione itidem eorum, à quibus deriuantur, initiorum, mira est uarietas, & inconstantia: huiusmodi est humanarum rerum status.* Natura *constantium, eorumq; omnium, quæ eadem semper necessariò manent, contemplatio est: actio humanarum.* Cum *autem uoluisset deus animantem quandam terras intueri, quæ, quod conditori cognatum est maximè, cognosceret, saperet, & intelligeret, particulam quandam diuini luminis terrestri corpori affixit; quæ, qua ui est ipsa procreata, cum utrumq; in eodem homine præstaret, & contemplaretur rerum sempiternarum uim, ac naturam: & flu-*

xarum, nec eundem tenorem perpetuò ſeruantium conditiones, ortus, progreſſus, conuerſionesq́; diſquirendo conſilio explicaret. Hinc, *quantum attinet ad eas uitæ rationes, quas ſequi unumquemq; decet, duo genera hominum extiterunt: quorum alij ſtudium ſuum ad ſcientiam contulerunt: alios negotia aut priuata, aut publica detinuerunt: niſi uelimus uitam quoq; pecudum hos degere, ad ſenſum tantum, quo uno ſunt prœditæ, quicquid moliuntur, referentium.* Locus *hic fortaſſe poſtulare uidetur, ut, cum utriuſq; uitæ initia percurſa ſint, & cauſæ, de ui, facultateq́; animi nonnulla diſſeramus, ea tantum attingentes, ex quibus eorum, quæ diximus, poſſit haberi cognitio clarior, atq; explicatior.* Itaq; *(ut Philoſophi nunc ſimus) dicendum eſt, præter uires illas, quibus homo alitur, uiuit, ac ſentit, quarum altera cum plantis: cum brutis, reliquisq́; animalibus ei altera eſt communis, mentem eſſe in ipſo collocatam; quæ tanquam ſol animi tenebras luce colluſtraret, præeſſetq́; dux iter in harum rerum ancipiti, atq; inextricabili labyrintho facienti; nequa poſt imprudens erroris pœna plecteretur.* Nec *tantum uiæ commonſtrator accitus aliunde, ex altiſſimo uidelicet cœli ipſius domicilio; Sed uis altera huic moli corporeæ eſt affixa, quæ rectè admonenti, præcipientiq́; obtemperaret: cuius in facultate ſentiente impreſſa ſunt ueſtigia, non quatenus ſentimus, ſed quatenus ſenſu ipſo impellente, ſtimulanteq́; aliquid appetimus.* Ex *quo manifeſtum eſſe arbitror, uim illam animi, in qua ratio ineſt, duplicem inueniri; alteram quidem natura ipſa huiuſmodi uideri: quæ planè nihil aliud eſt, atq; ratio, ſimplexq́; forma, quæ habet, ut & ſit, & ſemper uigeat, ab omnium auctore formarum: ab alterius uerò*

natura prorsus id est alienum: hanc enim obducunt tenebræ, densa caligo, ac profunda tegit: tantum quidem cupiditas trahit præcipitem; & ij, qui in his, quibus inhærent, corporibus exæstuant, rapiunt affectus in diuersa; ut propter imbecillitatem ne uno quidem in uestigio consistere posse uideatur: ni præsto sit, quæ cadentem fulciat, & firmet. Atq; *istuc, quod laudes in ea reperias, ut bonum quo ipsa caret, ab altera parte sese ostentans possit ad se trahere, atq; aduentitio, aliundéq; accersito, tanquam naturali, ac proprio, fruitita, quod natura abnegatum est, studio, industriáq; comparat, & proprium efficit.* Hoc *quum fit, euenit, ut quod luminis est expers, luce istuc tum colluceat aliena; sitq; hæc quoq; facultas animæ, & rationalis dici possit communione rationis, quam sibi non abnuenti impertiat, & largiatur altera fons, & totius origo luminis.* Cuius *functio sola est, eáq; propria, quæ agenda sint, alteri minus perspicienti aperire; rectè uiuendi rationem commonstrare; corrigere delinquentem: quæ, si aut imperantis iussa, aut docentis monentisq; præcepta contemnens cupiditate sua protrahatur, tam multis, tamq; uarijs morbis conflictatur, ut aut sanitati nihil prorsus relinquatur loci; aut optatam, & quæsitam, magnis laboribus longo post interuallo uix demum repurgata recipiat, aut aduenam, hospitemq; egregium aduentantem quidem, aditumq; pertentantem, ab ingressu ut ne prohibeat, totius tamen domus imperium nequaquam sibi uendicare permittat: quem neq; liberum esse sinat studentem omnes delere maculas; & in sordibus patiatur aliquando uolutari.* Itaq; *ijs ille obtectus indumentis, & inuolutus suam intus diuinitatem celat: quale de dijs legitur in fabulis alieno habi-*

tu conditionem suæ sortis ementientibus. Atq; *plerumq; is esse creditur, quem inuolucra, integumentaq; referunt, perniciosa illa quidem, & mortifera non minus, quàm uestis illa* Nessei *cruore tincta* Herculis *lateri lethaliter inhæsit*. Nam, *ut omittam illud, quòd uitia sunt quædam uirtuti tam proxima, & similia, ut quamplurimos minus sentientes fallant, & sibi leuiter de falsa gloria blandientes; cum exempli causa aut prudentiam calliditatis nomine metiuntur, aut prodigalitatis loco liberalitatem reponunt, sæpe dolosa, fallaciq; rerum imagine ita deludimur: imprudentes ita decipimur specie quadam recti: ficta pro ueris habemus; ut, quæ bona sunt, mala plerumq; ; quæ autem mala, bona utiq; nobis esse uideantur*. Honesti *autem, & boni ueram rationem certa cognitione assequi planè difficillimum est: quam si assequare, utilissimum, & optimum: sin minus, perniciosum, & turpe*. Tantam *uero difficultatem ueritatis huiusce percipiendæ, laboremq; secum ferunt impedimenta illa, quæ diximus, sese, tanquam nebulæ quædam, nobis obijcientia, ne in claram lucem possimus intueri*. Hinc *tam multæ de summo bono, tamq; uariæ, atq; inter se dissidentes opiniones extiterunt hominum plus sæpenumero largientium ei, quo erga seipsos afficiuntur, amori, quàm eam, quam ignorant, & plerumq; etiam oderunt, ueritatem ipsam sequentium ducem*. Hæc *autem in actione colligi nunquam, aut haberi potest; nisi pars hominis altera, qua de nunc loquimur, antè facta potior didicerit nihil, nisi, quod rectum sit, cupere; & amare; finemq; eum, qui sit expetendus maximè, cognouerit: quippe quæ sit utriusq; partis quasi consensus quidam: qui tum existit; cum, quæ appetit, nolit illud non sequi; quod ratio*

prius expetendum esse demonstrarit. Quamobrem ei, qui benefi-ficus esse decreuerit, mores sunt in primis excolendi: hoc enim studio ueritatem eam assequi poterit, quæ cum ad bene, beateq; uiuendum in tota uita necessaria est; tum uerò ad hanc collatio-nem officiorum adhibenda; in qua lapsus paulò grauior & perni-tiosus est, & magnorum malorum causa. Istæc autem calamitas tum maximè euenit, quum à diuersis, qui nobiscum unà nati nun-quam penitus, ut melius Peripatetici, quàm Stoici, fortasse sen-tiunt, ex animis euelli possunt, affectibus trahimur, & lacera-mur. Nunquam enim tam aufertur à nobis huius, quod in agen-do positum est, cognitio ueri, quàm, ubi imperium occupat libido. Rationis autem iudicium tandiu integrum manet, & incorru-ptum, quandiu in id, quod sibi iure subiacet, ac seruit, ipsa pote-statem retinet: neq; tum uelle non possumus, quæ sunt laudabi-lia, & præclara. Vbi uerò aut amore, aut odio, aut ira, aut uo-luptate ferimur; aut metu concutimur, tunc labefactata mens amittit imperium: nec potest amplius loco expulsa frenare præ-cipites, quin ea concupiscamus; &, si occasio non desit, sæpe etiam persequamur; quæ nec utilia, salubriaq;, nec sat honesta di-cas: aliquando etiam impia, ingentiaq; scelera anhelamus.

Quæ cum ita se habeant; danda ei, quem instituimus, est ope-ra, ut reginam, ac dominam de sede sua excutiat: impellat, cogatq; in aliena demigrare; illic uestigia firmiter imprimere, ubi potis-simum splendor uirtutis elucet. Morum autem, qui rectè instituti sunt, laus est maxima; qui peruersè, reprehensio haud mediocris: atq;, ut ea tantum dicuntur esse uitia, quæ bonis, castisq; mori-bus repugnant, solaq; improbitas homini detestanda, & fugien-

da, contrà autem capeſſenda proponitur, amplectendaq́; probitas, ita etiam propter alterum reprehendimur; laudamur uerò magis, atq; extollimur ob alterum. Neq; *hîc perinde fit, atq; in rerum contemplatione, ac ſcientia: quam ſequi, & parare laudabile eſt, & glorioſum: relinquere autem, præſertim ſi uitæ alterius potior ratio uocet, aut nunquam attingere, non turpe: turpitudo quidem eſt in ſolis moribus: quam qui execratur, is hòc eſt ampliore laude dignus, quò deſpectior, & probroſior eius eſt fama, & nomen, qui ſe illa inquinari patiatur.* Nunquam Socrates *habitus eſſet ſapientiſſimus, ſi aut ex ſola rerum inquiſitione ſequeretur ſapientiæ laus, quam ipſe contempſit; aut hoc pacto minus eſſe philoſophum homini aliquam ignominiæ notam inureret: à qua tantum ille abfuit, ut & uitæ integritate, & pulcherrimis, honeſtiſſimisq́; collocutionibus ab omni culpa, uitioq́; alios deterrere conatus uel ipſius* Apollinis, *qui aliquando nolens uerum proferebat, teſtimonio præclarum, inſigneq́; uirtutis exemplum, quod ſequerentur, poſteris reliquerit.* Extant *libri* Xenophontis *uiri eloquentis, & docti; in quibus quamplurima ad bene, beateq́; uiuendum præcepta, inſtitutaq́;* Socratis *eſt complexus: idq́; ad repellendam inuidiam, qua is per ſummum illorum iudicum ſcelus flagrans iniuſta damnatione interijt.* Hos *qui legerit, uidebit rationem ferè omnem, doctrinamq́; de moribus eleganter, copioſeq́; explicatam, haud multa deinceps deſideraturus, quæ ad hanc diſputationem pertineant: cognoſcetq́; in uita rectè inſtituenda, & conformanda ſtudium eius fuiſſe præcipuum; ea tantum bona iudicauiſſe, quæ & parare ſibi propria, & partis frui ſoli homini licet; quæq́; nec lenibus auris aſpirantis fortunæ proue-*

prouehuntur, nec in præceps feruntur impetu fæuiente reflantis; cumq; horum duplex sit ratio, ea & oratione, & exemplo uitæ prætulisse cæteris, quæ officiorum ratione continerentur; reliqua autem aut neglexisse, aut admodum leuiter attigisse; ac nunquam se supra infimi orbis globum extollentem Philosophiam è cælo deuocatam in urbibus, quæ commodis, salutiq; hominum prouideret, collocauisse. Neq; iniuria: non enim uideo, cur tantopere nobis sit in eo laborandum, ut, quæ à sensibus sunt remotissima, atq; quàmmaximo locorum interuallo distantia, qualia sunt, quæ astra uocantur, eorum uelimus cum magnitudines, tum naturas, uiresq; inquirere: ea enim aggredimur, quæ, cum se supra conditionem humanæ sortis extollant, à spe assequendi deycimur: rerumq; difficillimarum desperatione fracti in ipso conatu concidimus, non secus; atq; è cælo præcipitatum Phaëtontem luisse debitas temeritatis pœnas pöetæ ferunt. Quæ uerò constant ex hac materie, quæ rerum orientibus, occidentibusq; figuris substernitur, tanta obscuritate inuoluit horum latentes causas natura, ut uideatur arcana hæc, tanquam sacra Cereris, tegendo propè de industria in uulgus efferri noluisse. Horum tamen indagatio cum est facilior, atq; utilior, tum etiam propinquitate ipsa explicatior: nisi dicamus nescire turpe esse; quod scire aut nullo pacto possumus, aut quàm difficillimè; quodq; pro arbitrio adipisci cuiuis non licet. Rectè igitur & sapienter rerum minus necessariarum cura prætermissa ad ea se conuertit Socrates, quæ, quòd magis in quærentis potestate sita erant, & optare, & quærere decuit: quem quidem imitari eum oportebit, qui beneficus omnino esse uolet. In reliquis autem ita ipsi elaborandum est, ut

ne aut impediant, aut, quod alteri sit utile, officium ullum tollant. Quòd, si efficere poterit, ut hæc studia in suas quoq; partes trãsferat, existet ex beneficentia laus multò uberior. Sentiebat Marcus Tullius Cicero, *se suis ciuibus fuisse rem gratam facturum, si* Platonis *libros transtulisset, quos & iucundos, & utiles legentibus fore arbitrabatur. Quid? nonne ex multis uoluminibus, quæ tum in otio, tum etiam in maximis quandoq; occupationibus confecit, id est consequutus, ut laboris, atq; industriæ tanti uiri eorum, qui post sequuti sunt, neminem unquam pœnituerit? ad hæc siquis doloribus animi conflictatus confugerit, leuamen illud sentiet, quod pollicetur* Horatius, *quum sic inquit,*

Feruet auaritia, miseráq; cupidine pectus:
Sunt uerba, & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Quo uerò beneficio maiore potuit populum romanum promereri, quàm exteris nationibus adempta hac gloria in ea urbe eloquentiam gignere, quæ totum ferè terrarum orbem imperio armis subegerat? uidit hoc quale, quantumq; esset C. *Cæsar, qui parentem talis copiæ ipsum nominans beneficium, ut par erat, insigni laude extulit.* A*ristoteles autem (ut prætereantur alij propè innumerabiles, qui tentarunt, quid in hoc genere assequi possent) omnium, quorum scripta extent, doctissimus ea in summo otio perfecit, quæ officiorum magnitudine nulli unquam cessura esse uideantur. Itaq; propter tanta erga humanum genus beneficia talium uirorum uiget adhuc gloria: quam ex omni hominum me-*

moria nulla unquam delebit obliuio. Horum *igitur studiorum ratio si ita instituta fuerit, ut fructus aliquis redundet ad alios, præsertim ad rem.p., nihil planè huic laudabilius esse poterit: qui ad omnium utilitatem ratione beneficij ea copularit, quæ finium diuersitas à mutua coniunctione uidetur excludere.* Quòd, *si tantum animi oblectamenta quæruntur, quales sunt poetarum lusus, permittatur id quidem, æqua præsertim postulanti: cui etiam tesserarum ludum fortasse aliquando concedas: est enim iniusti prope hominis, & alieno bono inuidentis iucunda, quæ noceant nemini, prohibere: meminerit tamen in his sibi non diutius esse commorandum: remigrandum ad magis propria; atq; illa in primis esse repetenda, ex quibus maiora ad cultum beneficentiæ parari possint adiumenta. Pericula contemnat fortis, atq; intrepidus: uoluptates moderetur: libidinem coerceat intemperantem: ne sit ad iram incitatior: iustitiam, & pietatem colat: sit uerax: affabilis: comis, & urbanus: deniq; optimis moribus instruat se, & ornet: facilè enim tum rationi cedet cupiditas, cùm imperium alterius ferre assueuerit.* In *hoc si omni cura incumbat; has ingentes opes si comparet; si probitatem sequatur, nolle non poterit; nisi, quæ ijs ipsis cognata sint, à quibus tum laudabiles proficiscuntur actiones; tum uoluntas ad id, quod sibi obijcitur, expetendum procliuior efficitur, atq; liberior, affectibus tanquam uepribus cultura recisis.* *Verum hæc, ut reliqua etiam animi bona, haud facilè acquiri possunt: ut rectè dictum sit ab* Hesiodo, *à dijs immortalibus planè decretum esse, ut uirtus multo sudore pararetur.* Cuius *rei tres potissimum reperio esse causas, uoluptatem corporis; loci difficultatem, in quo tanquam in regno suo uidemus*

ne aut impediant, aut, quod alteri sit utile, officium ullum tollant. Quòd, si efficere poterit, ut hæc studia in suas quoq; partes trãsferat, existet ex beneficentia laus multò uberior. Sentiebat Marcus Tullius Cicero, se suis ciuibus fuisse rem gratam facturum, si Platonis libros transtulisset; quos & iucundos, & utiles legentibus fore arbitrabatur. Quid? nonne ex multis uoluminibus, quæ tum in otio, tum etiam in maximis quandoq; occupationibus confecit, id est consequutus, ut laboris, atq; industriæ tanti uiri eorum, qui post sequuti sunt, neminem unquam pœnituerit? ad hæc siquis doloribus animi conflictatus confugerit, leuamen illud sentiet, quod pollicetur Horatius, quum sic inquit,

Feruet auaritia, miseráq; cupidine pectus:
Sunt uerba, & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

Quo uerò beneficio maiore potuit populum romanum promereri, quàm exteris nationibus adempta hac gloria in ea urbe eloquentiam gignere, quæ totum ferè terrarum orbem imperio armis subegerat? uidit hoc quale, quantumq; esset C. Cæsar; qui parentem talis copiæ ipsum nominans beneficium, ut par erat, insigni laude extulit. Aristoteles autem (ut prætereantur alij propè innumerabiles, qui tentarunt, quid in hoc genere assequi possent) omnium, quorum scripta extent, doctissimus ea in summo otio perfecit, quæ officiorum magnitudine nulli unquam cessura esse uideantur. Itaq; propter tanta erga humanum genus beneficia talium uirorum uiget adhuc gloria: quam ex omni hominum me-

moria nulla unquam delebit obliuio. Horum igitur studiorum ra- *tio si ita instituta fuerit, ut fructus aliquis redundet ad alios, præsertim ad rem.p., nihil planè huic laudabilius esse poterit: qui ad omnium utilitatem ratione beneficij ea copularit, quæ finium diuersitas à mutua coniunctione uidetur excludere.* Quòd, *si tan- tum animi oblectamenta quæruntur, quales sunt poetarum lusus, permittatur id quidem, æqua præsertim postulanti: cui etiam tes- serarum ludum fortasse aliquando concedas: est enim iniusti pro- pè hominis, & alieno bono inuidentis iucunda, quæ noceant ne- mini, prohibere: meminerit tamen in his sibi non diutius esse commorandum: remigrandum ad magis propria; atq; illa in pri- mis esse repetenda, ex quibus maiora ad cultum beneficentiæ pa- rari possint adiumenta.* Pericula *contemnat fortis, atq; intrepi- dus: uoluptates moderetur: libidinem coerceat intemperantem: ne sit ad iram incitatior: iustitiam, & pietatem colat: sit uerax: af- fabilis: comis, & urbanus: deniq; optimis moribus instruat se, & ornet: facilè enim tum rationi cedet cupiditas, cùm imperium al- terius ferre assueuerit.* In *hoc si omni cura incumbat; has ingen- tes opes si comparet; si probitatem sequatur, nolle non poterit; ni- si, quæ ijs ipsis cognata sint, à quibus tum laudabiles proficiscun- tur actiones; tum uoluntas ad id, quod sibi obijcitur, expetendum procliuior efficitur, atq; liberior, affectibus tanquam uepribus cul- tura recisis.* Verum *hæc, ut reliqua etiam animi bona, haud facilè acquiri possunt: ut rectè dictum sit ab* Hesiodo, *à dijs immortalibus planè decretum esse, ut uirtus multo sudore para- retur.* Cuius *rei tres potissimum reperio esse causas, uoluptatem corporis; loci difficultatem, in quo tanquam in regno suo uidemus*

has esse collocatas; *postremò itineris magnitudinem, longosq́; quasi uiarum anfractus perducentium ad metam properantes.* Nihil enim *æquè inimicum, repugnansq́; rationi, atq; ea, quæ sensum titillat, uoluptas: nihil magis uirtuti contrarium: nulla capitalior pestis data est hominibus à natura: quæ, si paulò diuturnior sit, lumen omne ingenij prorsus uidetur extinguere.* Hanc *moderari, frenareq́; haud facile est, ni presto sit ratio: furtim enim in sensus illapsa tanquam blanda meretrix suis illecebris sæpe ad se totum hominem rapit, fallaciq́; boni imagine mentis oculos ita perstringit, ut hæc uerum, rectumq́; iudicium rerum omne amittat: iureq́; à Platone esca malorum dicitur, quòd sicut hamo pisces, sic homines ipsa capiantur.* Penitus *autem euellere omnium difficillimum est: unà enim nobiscum nascitur: neq; auctorem sui ipsius alium, atq; naturam ipsam uidetur agnoscere: progressuq́; temporis (uoluptatis enim exercitatio eius tanquam affinem cupiditatem auget) tantas uires sumit, ut rerum omnium potiatur imperio.* Huius *igitur maxima hominum pars capta delinimentis, spretis syncerìs animi, uerisq́; uoluptatibus uitam degit more belluarum, haud æstimans quantam conditioni suæ faciat iniuriam; quæ turpiter malit abiectam sequi, quam præstantem retinere.* Ad *quæ delinimenta hòc facilius delabimur, quò leuior trahit ad capiendum fructum labor: secus si esset, non illa utiq; tantopere peterentur: est enim labor parum amicus naturæ: qui si longior sit, ferri non potest: solemus præterea illa fugere, & aspernari, in quibus, dum parantur, nulla inest uoluptas, aut perexigua: ut hæc omnino sit tanquam condimentum quoddam actionum humanarum: atq; hòc magis unum-*

quodq; abhorremus, quò est aut ad tractandum asperius, aut difficilius ad consequendum. Porrò ad uirtutem tentanti aditum cum sensus omnis ad rationem reuocandus; tum subeundi sunt labores quàmmaximi. Nam & uirtus omnis uersatur circa id, quod in unoquoq; difficillimum est: & illa, quam potissimum in homine benefico esse uolumus, mores expolientem, & ornantem, eum locum, ac sedem sibi delegit imperio; ut eousq; uolenti, atq; adnitenti penetrare labor sit omnium maximus, aut unius Herculis par uiribus à Ioue patre facilè opem exorantis; aut perpaucorum, idem

Quos æquus amauit

Iuppiter.

Nec in hoc, ut in plerisq;, mentiuntur poetæ: qui montem quendam altissimum fingentes præruptis undiq; cinctum rupibus aiunt in summo huius uertice uirtutem habitare; ubi æquata undiq; planities & mira colorum uarietate distincta, & proceris, atq; ad aspectum decentiorem directis in quincumcem arboribus consita, & limpidissimorum fontium aquis irrigata refrigerantibus longo, ac perdifficili itinere fatigatos excipiens recreet, ac soletur. Nulla in re, quàm in hac, illud uerius, ueritatis partum esse mendacium. Nam, ut eo labore, qui ad parandam uirtutem impenditur, nihil fortasse est durius; ita nec, quæ à parta percipitur, uoluptate quicquam potest iucundius inueniri. Omnes quidem actiones nostras ita metiri possumus, ut in unoquoq;, quod fit, seruetur quidam in agendo modus; aut ad nonnulla extrema feratur actio; quorum alterum nimis est alieni appetens; ab altero aufertur, quod suum est. Vtrumq; peccatum est turpe, ta-

metsi alterum est altero grauius; idq; pro conditione ipsarum rerum, in quibus delinquitur. Virtus autem, *quæ his omnino grauis est aduersaria constituta, utrumq; à se repellens hostiliter in medio spacio consistit: qui locus circumuallatus hostibus undiq; bellum assidue gerentibus aditus habet difficillimos, ipse in angustum spacium, atq; admodum breue coartatus: ut, ubi eò perueneris, hærere, & firmare uestigia uix, & multo cum labore possis.* Itaq; *mediocritatis ratio una est, & simplex maximè, nec eam ullo pacto adipiscare, nisi in uno consistas loco.* Vitium *uerò latissimè serpit, monstrum hydra lernæa feracius: patetq; immensus ad peccandum campus, qui inter medium, & utrumq; extremum intercipitur.* Plerumq; *etiam in his, quæ inter se pugnant, multis peccatur modis; à quibus omnibus uia ad uirtutis pulcherrimum, augustissimumq; domicilium intercluditur.* Hæc *ipsa præterea longis adeo in immensum protenditur interuallis; ut, qui totam confecerint, in tanto hominum numero paucos admodum reperias; plerosq;, qui magnam fortassis partem itineris emensi tædio demum, & labore fatigati substiterunt: reliqui uerò,*

Quæ maxima turba est,

ne attigerunt quidem: ut non tam implicatione ipsa, quàm immensitate spaciorum soleat quemlibet uel animatum satis, atq; alacrem deterrere. Hoc autem, *quale sit, uideamus.* Planè, *si Peripatetici esse uolumus, qui tamen, quod uerum esset, minus interdum peruiderunt, nec satis possumus laudare naturam, quæ illam tanti boni nobis non fecerit copiam, quam oculis cernendi, audiendi auribus præbuit, nec penitus accusare; quòd, sicut cæteris*

animalibus, eius aliquando perfruendi facultatem omnino dene-garit: ueriusq; hacce in re fuit nouerca, quàm parens. Quæ *enim erant hominum propria, horum bonorum sibi ipsis auctores eos esse uoluit: tot præterea molestias, impedimentaq; obiecit quæ-rentibus; ut illa prope nobis inuidisse uideatur: quæ studium com-parandi tantopere impediendo retardarit. Sensit hoc (neq; enim à ratione alienum, à poeta sensum hūc exigere)* Homerus, *cuius ingenium nemo unquam satis admiratus est, quum homine modo nihil esse miserius cecinit; modo nil fortunatius: assequendi uide-licet facultas felicem efficit: difficultas infelicem.* Hæc *igitur na-tura in animis hominum uim quandam indidit, qua in his ipsis, tanquam in cera imago annuli, posset quoduis imprimi, ac repo-ni: δύναμιν græci uocant. In hac autem rerum diuersarum tum inspectione, tum tractatione mentis eius, quæ tanquam sol tene-bricosam domum suo fulgore collustrat, agitatio uirtutes ipsas imprimit; à quibus id omne, quod rude est, & informe, expolitur: & materies, cuius naturam in animo refert facultas ea, quam diximus, suapte natura circumscribi, ac certis lineamentis desi-gnari cupit; siquidem horum ipsorum beneficio dignitatem eam consequitur, ut sit uidelicet, quod non erat.* Itaq; *uirtus omnis il-lud excolit, & absoluit, quod quasi inchoatum à natura imperfe-ctum, & incultum remanserat: non secus, atq; in ære ars impri-mit figuram; quod erat ea conditione à natura concretum, ut in ipso posset illam artifex exculpere.* Verum *ad has imprimendas in hac animi facultate formas summo studio est opus, & haud mediocri contentione: nec rei præcellentis amplitudo temporis breuitate contenta est.* Non *enim, si, cum eorum nihil omnino*

ſcias, quæ ſcientia aliqua comprehenduntur, diſcendi percupidum te ad docentem conferas, ſi ſemel, aut bis cuncta ab illo excipias, ſtatim doctus, & peritus fias: ſed illa centies, aut eò etiam amplius inculcanda ſunt auribus; atq; ita, ut
Occidat miſeros Crambe repetita magiſtros:
inſudandum: libri ſemper præ manibus habendi: exacuenda eſt aſſidua agitatione acies ingenij: repetenda ſunt quotidie memoria, quæ aut dictata ab altero didiceris; aut ipſe proprio labore compararis: hoc pacto ſcientia demum acquiritur: quæ poſt nunquam, aut perrarò euelli, abradiq; ex animo poteſt. Idem cernere eſt in moribus. Non enim ſiqua in re bis, aut ter æquum te præbeas, continuò iuſtus ſis: aut temperans, ſi te hodie, & cras contineas; libidinem reprimas impellentem. Verum quotidiè exercenda eſt æquitas: reſecanda libido: atq; tandiu iſtuc faciendum, quoad bonis artibus ita animus aſſueuerit, ut ex honeſtis actionibus aut uoluptas ſequatur; aut ſaltem nullus perturbet dolor: libenterq; tandem id fiat, quod initio propè inuitus quis agit; dum ſæpe neſcit, quid faciat; aut caſu quodam; aut alio præcipiente id perſequitur, quod rectum eſt, & laudandum. Miror, inquit Iulius, te tandiu ſilere Antoni, ut inſtituti tui quaſi oblitus eſſe uideare. Nam, qui quæſtionem alteri proponit, ſolet, ut crebrò non urgeat, tamen interdum aliquid à reſpondente quærere, aut hunc rei alicuius admonere; qui fortaſſis unus non poſſit cuncta explorare cogitando: ſcis enim trito uulgi ſermone prouerbio binis oculis plus, quàm uno, cerni: aut ſaltem diceres, de his quid tu ſentias, quæ te modo animaduerti attentis auribus hauſiſſe. Nihil, inquit Antonius, Iuli fuit, quod loquentem interpellarem: ita
enim

enim omnia, quæ pro actionis patrocinio à Philosophia peti pos- sunt, exactè persecutus est, ut ad ambigendum, aut monendum lo- ci nihil relictum esse uideatur. Aut ego minus ista intelligo; qui Philosophiam leuiter attingens ad ius ciuile omne meum studium contuli. Præterea eam legem, si recordaris, nobis initio ipsi præ- scripsimus, ut admodum rarò loqueremur; præsertim si eiusmodi nodus in re nullus incideret, quem explicari necesse foret. Quæ uero (nam, scire id, uideo te cupere) hucusq; ex hoc unà tecum audiui, gratissima mihi planè acciderunt. Nam simul & multa disci possunt ex his cum ad uitam colendam, tum ad eum, quem quærimus, instituendum necessaria; & ex eo haud mediocrem uo- luptatem cepi, quòd acutè, & eleganter quædam nobis exposuit, quæ, ut de actione sermo esset grauior, & iucundior, nequaquam pertermittenda esse uidebantur. Qua in re orationem uideo ita temperauisse, ut nec breuitas nimia obscuritatem ullam attulerit; nec fastidium pepererit copia; præterea istius ætatis tuæ ratio- nem sic habuisse, ut ignaram quarundam rerum edocere uoluerit; quarum cognitio & utilis est non recusanti disciplinam, & in studium doctrinæ incumbenti iucunda iuuentuti: ut illis, qui bene- fici esse uolent, uirtutis eius, quæ moralis dicitur, fuerit omnino & aperienda natura, & explicanda laus. Itaq; cerno multò ma- iora hæc fore, quàm cogitaram: ampliora enim, cumulatioráq; beneficia possunt ab ea, qua de nuper is disseruit, uirtute existe- re, cum se totam ad alios conuerterit, quàm à fortuna, quæ sæpe obest, nunquam prodest, nisi uirtutem ducem, ac dominam tan- quam famula sequatur, & colat. Sed audiamus, siquid reliquum est, quod ad disputationem pertineat; quæ de illo genere uitæ, quod

beneficentiam supra ostendimus exigere, dudum est à Iacobo instituta. Satis, inquam, opinor ex his, quæ sunt à nobis oratione paulò longiore disputata, quantum rei necessitas ipsa postulabat, explicatam, patefactamq; eius actionis esse naturam, quæ cunctis & capessentibus rem.p., & domesticarum rerum curam gerentibus, benefici ut esse uelint, est amplectenda; simulq; ad hanc ipsam homines natos esse, atq; à deo ipso institutos; neq; ciuitatem ullam, aut domum, neq; quempiam diutius ex se ipso esse posse; si aut studia doctrinæ tantum persequatur, aut dominante, crassanteq; libidine rerum agendarũ honestiora, prudentioraq; consilia ab hoc excludantur; quæ ut homines & nossent, & cuperent, eam animorum conditionem esse consequutos, ut ipsis inesset, quo utrumq; possent, & cognoscere scilicet mentis acie, recta quæ essent, & cognita, perspectaq; simul appetentes & uelle, & sequi: ut autem peterentur, exegisse tot, tantasq; necessitates, quibus humanam uitam obstrinxit natura, aut, quod est uerius, malitia inuoluit, ut, cum hominum conditio, si hoc spectetur, multò uideatur esse miserior, quàm belluarum, quibus concessum est & paucis esse contentas, & multò paucioribus, leuioribusq; torqueri malis, necesse fuerit remedia quærere, quæ miseræ, calamitosæq; sorti subuenirent. Quorum è numero, ne imbecillitas nostra auxilio destituta uideretur, immensa dei prouidentia cuicumq; generi necessaria cuncta suppeditantis uirtutem esse nemo non uidet, cum omnem, tum uerò eam maximè; à qua impellimur, ut non pigeat pro patria, communiq; bono sanguinem profundere; iustitiam seruare; uoluptates immoderatas, libidinemq; coercere; ex opibus proprijs largiri, quod aut usus

exigat, aut æquitas ipsa patiatur. Hæc nimirum constantes efficit, docetq; casus omnes humanos sapienter, fortiterq; esse perferendos; perturbationes omnes, motusq; animorum æquè temperat, ac lenit, eiusdem actionis dux, atq; arbitra, qua rerum omnium administratio, regimenq; cõtinetur. Quæ si, ut par erat et diligi, & coli, à nobis coleretur, & honestatis splendor, quam aut unà cum actione coniunxit natura, aut eius moderatricem statuit, multò pulchrior, clariorq; inter homines enitesceret: &, quos acerbi, miserabilesq; in dies urgent, premuntq; casus, felicitate tanta frueremur; quanta certè homini, si se ipsum cognorit, est tributa. Ergo neq; mirandum est, si uitam nunc ducimus acerbam, & infelicem: eius enim, unde beati efficimur, contemptum necessariò graues, atq; intolerabiles sequuntur erumnæ. Quotus autem quisq; est, cuius præclaras actiones possis extollere, & laudare? qui artibus his, à quibus illæ proficiscuntur, imbutus ad rem. p. se conferat; studeatq; hanc ipsam tueri, & augere? Nostris quidem temporibus, præter multarum magnarumq; urbium euersiones, regna igni, ferroq; uastata, assidua bella, quibus dissidentibus principum animis ob effrenatam imperandi cupidinem tota fermè Europa conflagrauit, ex tanto hominum numero, quibus moderandarum rerum cura est tradita, paucos admodum reperias; quos publica utilitas magis, quàm priuata ad se pertrahat: ut omnis recta, sapiensq; agendi ratio sublata esse uideatur: doleamq; interdum uagienti in cunis mihi uiuendi cursum non esse præcisum; ne prouectus ætate fortunam eius sæculi tam miseram, calamitosamq; cernerem; in quo pro constantia summa dominatur leuitas; pro æquitate iniuria; pro temperantia libido.

nec, qui uirtute freti quærant imperia, multos reperias: nec, nisi opulentis hominibus, aut fauore adnitentibus mandantur honores: probitas tantum, ut ait Satyricus poeta, laudatur, & alget. *In re.p. romana, qua nulla unquam talium uirorum extitit feracior, multa cumulatæ uirtutis exempla memorantur.* His *igitur & magna pietas in patriam, & in re.p. administranda singularis industria, & in priuatorum, amicorumq; tuendis commodis studium haud mediocre, miraq; integritas tantam laudem ex actione pepererunt; ut turpe sit non imitari, quos laudamus: scelus aduersari: hac enim ita usi uidentur, ut omnia propè studia sua, laboresq; ad unam beneficentiam rettulerint. Quæ quidem est uitæ eius potissimum, quæ in agendo posita est, quasi decus quoddam, atq; ornamentum: hoc enim illustrior est actio, quò magis illa uidetur ad aliorum utilitatem redundare, & quidem uox ipsa utrumq; indicat; quæ græcis primum, pòst latinis ita coniuncta est, ut hominem ad præclara facta excitare uelit, desidiam, otiumq; detestata. Atq; præclara quidem illa sunt, temperantem esse; constantem in perferendis doloribus; æquitatem animi in aduersis rebus retinere æquè, atq; in secundis; iram efferuescentem cohibere: sed quæ tamen possidentis magis propria; & unde fructus plerumq; solet alteri extare tenuior: at benefico, qui plus aliorum, quàm sua ipsius causa uelit, quid clarius esse potest? Quanquam enim prodesse fortasse uel exemplo, uel non nocendo alteri uidetur, qui eas animorum perturbationes comprimat, ac sedet; quarum effrenis, liberiorq; uis non ei tantum, quem tam noxiæ cruciant, & affligunt pestes; sed persæpe cæteris etiam perniciosa esse solet: aut fingat*

mus, & malo solum torqueri ægrotantem, &, ubi sanitas ei fuerit uirtutis, tanquam medici, opera restituta, æquè præter ipsum, bono frui neminem; est enim non mediocris eius uirtutis laus, quæ hominem rationi parere cogit, à brutorum natura abhorrere; multò tamen illa præclarior, à qua non magis habenti extet, quàm carenti, fructus. Nocere nemini, *præsertim cum possis lædere, laudabile est: odium enim iniuriæ, magnum est probitatis indicium: prodesse quàmplurimis, non est nisi perfectæ uirtutis opus: etiam, qui nihil nocet, potius uidetur nihil agere: qui nihil agit, homo uerè nihili est: quid si etiam interdum, quum iuuare potest, noceat haud parum?* Hoc *nimirum apologo illo declaratur, qui est de totius corporis interitu ob membrorum in id odium atrox, atq; execrandum; quæ nihil agendo seq;, & illud, quod infensè oderant, miserè, turpiterq; perdiderunt.* Poterat'ne *exemplo, licet id fictum sit, aptiore actionis, beneficentiæq; simul necessitas ostendi: quo & desidia damnatur, quæ turpis sit, & perniciosa; & simul arguitur magis esse secundum naturam, ut quiuis prosit, quàm ut ne obsit: cum, si iuuaret, officiumq; unumquodq; suum facere studeret, uita, ab ea etiam ui, quam manus præsertim corpori afferre poterant, ut abstineret; si tantum nihil ageret, mors ipsa sequeretur.* Itaq;, *quæ lex amicitiæ, necessitudoq; membrorum cum corpore ut esset, natura sanxit, eadem lege, ac fœdere uoluit uniuersos homines teneri: ut, quemadmodum neq; corpus salutem suam tueri potest, nisi membra ei sufficiant, & ministrent, quo alatur; neq; hæc ipsa diutius uiuere est necesse, nisi illuc id post remittat partem aliquam, unde prius acceperit, alimenti, sic homines inter se mutua beniuolentia de-*

uinciret, atq; alter alteri, si se saluos esse uellent, quo egeret, auxilium præstaret. Amor autem ille, quo plus, quàm par sit, protractis multis una utilitatis propriæ ratio curæ est, & reprehendi maximè, & turpis haberi solet. Huius uis latissimè quidem patet: qui tum maximè lethalis est, quum alteri detrimentum affert. Liquet enim ex his præcipuè, quæ modò asserumus, esse contra naturæ ipsius leges: cuius maxima liberalitas cernitur ex tanta rerum uarietate, & copia; quam genuit uel ad hominum conseruationem necessariam, uel ad dignitatis speciem usq; spectantem. tollitq; uinculum humanæ societatis omne, à quo charitatis ne scintillam quidem in alios deriuari uideas; quiq; tantum sibi bene esse cupiens aliorum commoda omnino negligit. In primis uerò præcipuum is euertit Christianæ pietatis fundamentum, qui charitatem illam reijcit, & odit: cui Christum ipsum auctorem sequutus Paulus tantum tribuit, ut rei cuiuis, præcellentiq; uirtuti, quam deus homini largiatur, eam non prætulerit modo, sed affirmarit etiam, ut reliquorum quoduis adsit, & ornet, fore, si desit hæc comes, ut nomen Christiani philosophi nemo ulla ratione tueri queat. Nec amicitia per hunc potest esse ulla. qui enim alium æquè, ac seipsum diligat, in quo uno inest amicitiæ uis omnis, qui omnia ad sese pertrahens, nihil relinquens alteri uniuersos propemodum hostili animo oderit? amicitiam autem qui tollit, uidetur, ut inquit Cicero, solem è mundo tollere: quæ & secundas res ornet, & dulce, atq; optatum afferat lenimen aduersis. Quantò autem præclarior, dignáq; maximo, sapientissimóq; philosopho est uox illa Platonis; ortus nostri partem patriam, ac parentes, partem amicos sibi uendicare sta-

tuentis.Quamobrem amoris huius ignominiam repellit à se beneficentia.nec beneficus ullo pacto dici potest,qui uno suarum rerum desiderio,illecebrisq; detinetur. Prodest *enim mirandum in modum uir beneficus:at contra obest,qui sibi soli bene esse uult. Quo in amore liberos quoq; complecti uolo; aut,qui habetur loco liberorum;quibus parentes, siue ij,qui funguntur parentum munere,æquè,ac sibi ipsis, aut etiam plus interdum, consultum uolunt:est enim filius uiua imago patris.*Hoc *dum fit, tantum abest,ut utilitatis aliorum aliqua ineatur ratio, ut his ipsis etiam persæpe damna inferantur;nec ab istis à grauissimis abstineatur iniurijs,modo cupiditatem expleant suam: quam uehemens quidam habendi amor ita indies auget; ut nec,quanta fieri possit, accessio fortunarum, nec ingrauescente ætate uiatici usus breuior,nec ulla unquam sanctioris doctrinæ præcepta moderentur; sed magis illud euenit, ut*

Crescat *amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.*

Nec *ulla pernicies infestior,& propè ad internecionem usq; humani generis grauior esse potest: præsertim si contagio hæc principes,aut,qui reges sunt, infecerit:leuior quidem in priuatis hominibus,quos obstrictos legibus deterret à sceleribus plerumq; pœnarum metus.*At *ij,ad quos regna,atq; imperia sunt delata, cum non ad suorum ciuium æquum, rectumq; regimen, sed ad suam libidinem potentiam,opesq; conuerterint,dictu difficile est, quam ingens,& intolerabilis sequatur malorum congeries;quàm acerbæ calamitates;quàm graues casus opprimant innocentes,& nihil mali admittentes ciues.*Hinc *bellorum incendia; uastationes agrorum;urbium euersiones;hinc oppressiones legum; tyranno-*

rum conatus nefarij, direptiones fortunarum, cruentæ, atq; abs hominabiles miserorum cædes. Quò enim quisq; uiribus, opibusq; instructior est, & ad aliquod facinus, quod paulò plus exigat operæ, obeundum paratior, si idem sit plus æquo suarum rerum amator, contemptor uerò alienarum, ut libidinem exaturet immoderatam, effrenis hic iura omnia uiolare audet; finisq; malorum huic est cupiditatis modus. Huius utinam uetera tantum aut extarent monimenta, aut possent exempla proferri. tulit hæc ætas toto ferè orbe terrarum principes adeò incensos libidine dominandi, non desiderio regendi imperij, ut uel bellorum magnitudine, uel numero præliorum, uel casuum uarietate, uel acerbitate infortuniorum cum omnibus anteactis sæculis facilè conferri possit: tantusq; in Germania præsertim fuit in plerisq; aut habendi, aut imperandi ardor, ut non contenti imperijs, quæ ante hoc bellum, quo in ea à Carolo Cæsare pacatum est imperium, finitimis ui ademerant, simulatione pietatis fana omnia expoliarint, & profanarint ex his ipsis complura; eaq; in peruertenda religione patrarint facinora, ut nulla unquã barbaries talia aut uiderit, aut audierit. Prorsus execranda hæc fames rabida: tollenda libido est, malum id, quod dij, & homines non satis oderunt, detestandum, ei contrarium, inimicumq; actioni, quam & hominis propriam esse ostendi, & ad conseruationem rerum à natura illi datam, ad bonorum cognitionem duce ratione ignarum quasi manu deducente. At dicet is, qui ueniam aliquam forstasse peccato quærit, natura comparatum est, ut se quisq; amet, sibi consulat, se tueatur: fateor hoc quidem, atq; etiam sapienter institutum fuisse contendo. etenim, nisi amoris hæc uis erga se-

ipsum

ipsum sui in unoquoq; insita sit pro suæ conditione naturæ, rerum omnium interitus sequatur oportet. Eadem autem uis in homine præsertim id ualet, ut aliena ope sæpe indigentem cogitatio trahat ad iuuandum, quem ijsdem casibus obnoxium uiderit: ex quo dicta est humanitas: quæ & magnopere laudatur, & nos in primis aliorum calamitatibus misereri cogit. Quare amoris huius usum dedit natura, abusum negauit. Amet se quilibet, quod iure facere potest, & etiam debet; sed ita, ut humanitati sit locus: quam qui abijcit, à natura hominis uult is omnino degener uideri. Planè uitium, quod est humanitati contrarium, ut aliæ possint esse causæ, certè secum fert nonnunquam diligens nimis propriorum ratio commodorum. Quæ præter reliqua, quæ hinc peccata propagantur, auaritiæ etiam animos labe inquinauit: amor enim pecuniæ, uita est auari: cui parcere, tametsi suum semper defraudat genium, optimum omnium, maximeq; necessarium sui ipsius alimentum putat. Itaq; pecuniæ cupidissimum hunc uideas, quia eò se nimis amore prosequitur, quem ad usum tantum natura dedit. Atq; hoc illud est, quod Aristoteles inquit magis homini natura insitum esse accipere, quàm dare: uidelicet sui conseruandi sola necessitas hoc probat: secus, si accipere lucri tantum cupiditatem præ se ferat, contra naturam est. Nihil autem tam naturale, quam dare, præsertim si id sit cum ratione coniunctum: quod alterum sit uitium, alterum uirtus, quæ maximè est secundum naturam: hæc enim cuiq;, quod commodum est, & satis, tãquam benigna parens larga manu suppeditat: nec accipit unquam, quæ nulla re indigens & ad uictum necessaria, & uoluptatum nobis condimenta largitur. Quamobrem

hanc, aut, cuius ipsa est opus, auctorem imitemur, non plus, quàm eadem uelit ratio, quæ unà nobiscum orta est, nosmetipsos amantes; animumq; ita inducamus, nihil laudabilius esse, quàm, quo nos prosequimur, eodem cæteros quoq; amore complecti. Nam, præter cætera, quibus ornatum esse uolumus, qui nunc instruitur, ab hoc charitatem tanquam reliquarum rerum fundamentum illam exigimus, quam Christus & oratione docuit, & mirandum in modum uitæ ratione est sequutus: hoc, si persuasum nobis erit, ut uelimus, nimirum ad colendam beneficentiam erunt planiora, quæ sequuntur. Ad *quam quidem potissimum sua consilia, uitæq; rationes multis uerbis ab homine referri oportere contendi: id enim initio huiusce disputationis receperam uestra Iuli, &* Anto*ni auctoritate coactus, me, quantum uires ingenij mei paterentur, probaturum, nihil esse homini in uita deligendum æquè, capessendumq;, atq; ut is pro uirium facultate niti uelit, reliquos homines beneficijs promerendo sibi deuincire: quod cum potissimum in actione positum esse constaret, aliquantò diffusius, uti feci, de ipsa mihi differendum existimaui: simul, ut ostenderem, eorum, qui se ad agendum conferrent, quiq; uitam ita instituerent, ut desidem esse, & omni prorsus, quæ alterum iuuet, uacantem industria ne paterentur, quàm illorum, quos contemplandi studium à cæterorum consuetudine plerumq; distrahit, rationem esse potiorem; atq; iccirco alteri esse præferendam; præsertim si labor hic nullum afferret fructum, præter contemplanti uoluptatem.* Rerum *autem inuestigationem præstantissimam, pulcherrimamq; esse, & amorem, studiumq; scientiæ ab eadem natura homini inditum fateri omnino est necesse; quia id mente*

fiat, quæ hominis pars omnium nobilissima est; & omnes hac ap= petitione trahantur. Atq; illud quidem si consideretur, quàm contemplandi facultate ad dei ipsius naturam propius accedamus, cuius hæc fortasse magis uidetur esse uita, nihil utiq; præstantius hoc ipso, dignius'q; uideri poterit. Verùm, si contrà reputes, quàm multæ & laudabiles, & præcellentes soleant eorum esse actio= nes, qui prudentes, qui iusti, beneficiq; eundem sequuti deum, qui edocuit, omnium ipse auctor, & fons bonorum, ijsdem artibus, sapientibus'q; consilijs, quibus est initio constitutus, eundem rerum statum, qui est optimus, regunt, & tuentur, compertissimum om= nibus id erit, nihil scilicet esse aut toti ciuitati, aut singillatim cuiuis melius, quàm ut ad alterum uitæ declinet institutum; quod sit non ei tantum, qui negotium suscipit, sed alijs etiam, qui uel sedentes indigeant, fructuosum. Profectò nihil esse hoc uerius, de quo multa sunt à nobis disputata, & natura nos admonet; & communis uitæ consuetudo manifestè docet: unumquodq; enim, si spectetur usus, præferendum est, quò maiore id necessitate natu= ræ continetur: quæ cùm hominum saluti in primis prospexerit, utiq; ea uidentur magis necessaria, quæ idipsum efficiunt, quod hæc decreuit. Quòd autem illud, quod ad actionem pertinet, tan= quam potius ad omnium conseruationem requiratur, non est, quod amplius contendam. Nemo enim absq; hoc contemplationi dedere se potest: aut ne altero quidem fortasse indigemus ad sa= lutem; aut, si hoc, certè parum. Id Aristoteles affirmauit: qui, cùm de utroq; genere uitæ scriberet. Sed neq;, inquit, necesse est actionem non sequi ciuitates, quæ in solitudine positæ ita sibi de= gendum esse decreuerunt: est enim ciuitatis partibus actio neces=

» *saria, quæ multarum rerum inter se communione uinciuntur.*
» *Atq; etiam idipsum singulis hominibus inter se euenit: deus au-*
» *tem, atq; hoc uniuersum probè abundat ocio; quorum nulla sunt,*
» *præter sua ipsorum propria, aliena negotia. Quare uitam hanc,*
» *quam & tota ciuitas, & priuatus quisq; sequatur, optimam esse*
liquet. parum'ne uidetur his paucis uersibus, quid de utroq; sentis-
ret, ostendisse? quanta sit actionis tum necessitas, tum & in pri-
uatis, & in publicis rebus usus? Quinetiam Ciceroni placet ap-
tiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate, quàm ea, quæ
ex cognitione ducantur; nihil'q; homini aliorum utilitate anti-
quius esse debere contendit. Quid si alterum pro
dignitate rei præclarissimæ nullo pacto cumulatè præstare pos-
sumus? quid si minimam partem eorum assequimur, quæ mentis
possunt à nobis acie comprehendi? Maxima, inquit Themistius,
illarum rerum pars quas scimus, minima est earum, quas igno-
ramus: nonnulla etiam uidentur omnino cogitationem humanam
superare, neq; ulla ratione, qualia sint, sciri unquam posse. Aut
dicant, quæ sit natura cœli; cuius uera, certaq; cognitio magis af-
firmando quæ sit, quàm, quæ non sit, semper negando, constet.
Multò minus licet sperare nos cognituros, quæ nullum in sensum
illabuntur: & tamen hæc quoq;, sicuti reliqua, aut etiam maiore
desiderio pernoscendi detinemur: quod neo frustra homini affixat
natura; & propterea aliquando expleatur oportet. Neq; etiam
eius ipsius, qualecumq; est, quod certè minimum esse apparet, non
difficillima est comparatio, tum propter rerum uarietatem, &
copiam, tum quòd absq; sensuum adminiculo cognitio nulla esse
potest; quorum propter imbecillitatem ipsorum debilitatæ uires

in medio conatu persæpe franguntur: ibi tum labor omnis incassum effusus: aut, si quis aliquando se ad metam usq; sustentet, diuturniore uitæ eget spacio: id tamen circumscriptum est hominibus & breue, & incertum; ut uel iusta propè fuerit eius accusatio, qui, quo tempore scientiæ initium extiterit, uitam sibi tum præcipi, sit de natura conquestus: secus autem est in altero, quòd illa, à quibus ipsa, de qua loquuti sumus, oritur actio rerum conseruatrix, parare magis situm in nobis esse uoluerunt. Præterea leuiore cum labore, quum uolumus, ea, quæ sese adnitentibus obijciunt, reijcimus impedimenta. Mala quidem ualetudo studium doctrinæ omnino aufert: & interdum morbus grauior, quæ quispiam didicerit, delet è memoria: iustitiam uerò, aut alias huius generis nunquam, licet earum usum aliquando impediat: nec uis ulla potest aliunde tanta existere, quæ inuitis aditum ad laudabiles, honestosq; mores intercludat. Itaq; illud tanquam optimum omnium tibi Iuli censeo esse deligendum, sine quo nec priuata domus ulla, nec ciuitas stare potest: cuius, si cum altero conferas, habendi facultas maior, parti usus planior.

Quòd si rationes hæ, quæ hucusq; sunt allatæ, minus urgeant, (mihi quidem certè ualde probantur; præsertim cum habeam multos memorabiles, ac doctos uiros, qui uelint huius defendendæ sententiæ partes suscipere) quædam uerò exigantur, quibus magis nitatur oratio, quod argumentum euidentius, quæ ratio firmior afferri poterit, quàm Christi auctoritas? cui iure tantum tribuitur à nobis, ut nec uerius quicquam, nec clarius, manifestius'ue quod sit, habeamus: est enim ueritatis eius, quæ in cunctis esse cernitur, origo, & fons bonorum omnium opifex deus: cuius

quot uoces sunt, pronunciata totidem certè censenda. Is igitur, cui fuit totius humani generis salus uita ipsa charior; qui nulla boni ignoratione deceptus, nec poterat ipse falli, nec alios fallere, quãdiu in hoc orbis terrarum domicilio humanis oculis hominem se obiecit, id unum egit; id studuit; in hoc elaborauit; ut omnes ad conformandos, rectèq; instituendos mores, ad honestarum actionum cultum adhortaretur uel oratione, uel ipsa, quam est professus, ratione uiuendi. Totum hoc studium indagandi, quod pleriq; extollunt, & admirantur, contempsit, ac reiecit: qui solo responso, quo doctor Nicomedes imprudens ille quidem, minus'ue, quid sciscitaretur, cogitans ab eo est reprehensus; menti humanæ, quandiu includitur hoc ergastulo corporis, ad eorum cognitionem, ad quæ post migrationem ex hac uita fruendum editi sumus, aditum omnino præclusum asseuerarit. Quæ autem de deo aut nostra referret nosse, aut supra ingenium, captumq; nostrum haudquaquam esse uiderentur, ea ipse sic edocuit; ut non tam impium sit, quæ exploratissima, uerissimaq; sint, obscura, falsáq; dicere; quàm stultum aut plura, aut, quæ sciri non possint, maiora cogitare. Placet istuc mihi, inquit Antonius; ut etiam pro Iulio loquar; quòd auxilium sæpe ab eo petis, à quo firmissimum illud multò, quàm à Philosophis, accipiendi, parandiq; spes sit exploratior: planèq; intelligo ab eo ipso & actionem præferri, & curiosa nimis quorundam ingenia damnari ad ea penetrare tentantium; quæ, ut olim deæ Cereris mysteria, quærere propè sit nefas; ridiculum uelle scrutari: quos quidem homines doctè admodum refellit Gregorius Nazanzenus in eo libro, qui ab ipso de Theologia inscribitur: hunc tu mutato nomine de incomprehen-

filii dei natura latinum fecisti. Sed quid hoc est, quod audio à multis obijci studium illud Marthæ in accipiendo hospite tantopere flagrans, cuius quasi quandam reprehensionem statim sequitur mira sororis collaudatio; quæ neglecta cæterarum rerum cura, spretaq; uoce opem implorantis nunquam ab unius hospitis conspectu digreditur? Neminem, inquam, deterrere debet, aut auocare à patrocinio publicarum, domesticarumq; rerum Christi hæc oratio. Nam, si quis, quid is uelit à Martha, perpenderit, cognoscet Magdalenæ hunc actionem illam probauisse; quæ, si conferatur cum altero sororis studio, ad contemplationem propius accedere, si animi, quæ nihil prosint, oblectamenta quærantur, actioni similior esse uideatur. Contemplatorem enim, qui aut sibi tantum uiueret, cum alijs etiam posset uiuere, aut stultam uereq; inanem sapientiam profiteretur, semper ille damnauit: qui eundem sequutus ducem agendo aliquid alterum iuuaret, cum nunquam non probauit. Itaq; actionem, quæ obesset, reiecit: contemplationem, quæ prodesset, laudauit: neq; hoc loco (ut ego quidem sentio) contemplari aliud est, atq; Christum ipsum imitari; qui semper sic uixit, ut cæteri se uiuere lætarentur. Atq; eorum quidem, qui ex occupationibus ad hoc otium, ut sic dicam, agendi potius, quàm contemplandi quasi tranquillitatem quandam commigrant, sanctum esse, & laudandum institutum duco; si eo pacto id agant; primum ut, dum sibi nimis interdum cautum uolunt, deserendo, quos tueri debent, alicui ne noceant; dein, ut uel hac ipsa ratione cæteris magis, quàm sibi prosint. Id efficient, si aut Magdalenam utiliter contemplantem sequuti Christo in lauandis pedibus obsequentur, hoc est, inopes, & egenos pro uiribus

suis alent; aut precibus peccatis ueniam ijs ab irato Deo exorabunt; aut morum integritate, & cohortationibus alios erudient, impellentq; ad immortalis dei cultum, ac præcepta seruanda. Est enim laus omnium maxima, atq; ex ea actione homini præmium amplissimum, quæ pio stimulante amore animos ad cœlum usq; traducit: neq; labores ulli æquè deo grati: si hoc est contemplari; idq; ita uelint, quibus displicent negotia, fateor nihil hoc esse præstantius: quod & Daniels diuina uox approbat cœli tanquam astra hosce futuros esse prædicentis. Nihilominus, quum homines, quos contemplatores esse uolunt, ad angulos quosdam adigunt, ut secum tantum loquantur, sibi ipsis uiuant, uidentur eos omni prorsus, quæ redundet ad alios, actione priuare. Id autem multò magis euenit, cum ad id otium rerum earum, quas diximus, inquisitionem adiunxerint: hæc enim oblectat adeò, atq; tanquam esca quædam totum hominem ad se trahit; ut aliquando cogat ea negligere, quorum cura studio cuiuis præferri debeat. In alteram partem rursus ita peccatur à multis, ut non iam aut genus illud actionis, quod & deo gratissimum, &, ut eius utamur uerbis, suaue fore ipse proclamauit; aut honestum, iucundumq; otium ament; sed ea faciant, quæ minus deceant, aut etiam iniquissima sint, omnino è memoria Christum, eiusq; mandata delentes. Quem si imitari uolent, eam instituent uiuendi rationem; quam cum Magdalena uellet persequi, in eum, quem sibi ante oculos proposuerat, intuens, nulliusq; boni falsa imagine decepta à recta agendi ratione deflecti potuit, aut ad uitium delabi. Quamobrem iure sororis ex delectu uitæ minor debet uideri laus; quæ, dum plus æquo alijs intenta est negotijs, ab eorum studio diuelli se patitur,

titur, quorum amore trahitur altera, exemplum uitæ optimum posteris futura. In *altera rerum, quibus aut bene, aut male uti possumus, ea, qua pietatis officia aut prætermitti, aut contemni facilè solent, cupiditas accusatur; in altera laudatur modus: alteram mordet eorum cura, quæ tanquam spinas esse ille testatus est; alteram is magis mouet, qui bonorum omnium & parens, & auctor, ea ut hominibus bona sint, causa est potissima; quæ mala plerumq; ut sint, ipsi efficiunt: illa non tam egregiè facit; quæ nimis humana cogitans sociam poscit ad laborem minus necessarium; hæc contemplatrix prudenter, & rectè: quæ ad eum confugit; ab eo, qui possit dare, auxilium petit, quo & mores componat suos; & nihil non agat, quod iustum sit, & pium.* Hoc autem ille *idem, quo nemo est peritior, nemo sapientior, nec quicquam duxit in uita homini conuenientius; nec melius, quod daret; habuit uel ad bene, beateq; uiuendum, uel ad eam felicitatem comparandam, quam post mortem in sola diuinitatis contemplatione posuerunt.* Nam, *quod hic contemplari est, totum fortasse ad instituendam uitam referri debet; ut* Christi, *qui, quæ nos de deo contemplari uellet, edocuit, præter æternitatem, immensamq; potestatem, bonitatem, iustitiam, pietatem, clementiam, sapientiamq; contemplantes tales ipsi efficiamur, quales esse nos uoluit, reliqua post apertius cognituros; quorum aspectum adimunt animis hæc in tegumenta corporea cogitationem omnem exuperantium præcellentis conditione naturæ.* Hanc uerò (*ut ad illa se transferat oratio, quæ cum altiora sunt, quàm, quæ Philosophorum peruiderunt ingenia, tum uerò etiam ueriora*) *finem hominis esse, & multis rationibus doctissimi uiri affirmauerunt;*

& Christus deus,quo qui non contentus quærat ulterius, fallacem hunc prorsus,& ueritatis omnis hostem iudico, uel oratione,uel ui miraculorum nobis ipse declarauit. Nec uox unquam humano generi æquè salutaris existere ulla potuit,atq; illa; qua contentiones omnes, inanesq; de finibus bonorum, & malorum controuersiæ sedatæ; errores, quibus inuoluti homines tenebantur,sublati; immortalitatis eius,quam tantopere expetentes non tam manifestam antè habebamus, ratio omnis ita patefacta; ut iam post alteram uitam Christo redditam nihil sit notius, nobisq; certius. Profectò nunquam mihi persuaderi potuit hisce æui spacijs,quibus animæ, & corporis uinculum hoc amicitiæ inuiolatum seruatur,& incorruptum, uitam hominis terminari, nec partem eius omnem,ut bruta,esse perituram; id quod et nonnulli,ijq; magni,& præstantes philosophi multò ante dei filij è cœlo demissam uocem senserunt;& consensus etiam gentium omnium „ iam inde ab initio usq; repetitus approbauit: non omnino, inquit „ Aristoteles, falsa est fama illa,quæ ex ore multarum nationum „ est celebris. Mentem uerò hominis qui mortalem esse dicere possumus;quæ(id enim sonat uox hæc ἀμιγνὸς)seiuncta sit ab omni concretione materiæ? quæq;, ut facultas ea, in qua uis sentiendi inest,non ita egeat ad functionem sui muneris corpore tanquam instrumento? secus sensus nihil eorum, quæ ipsum feriunt, non feret: aut etiam,quò ui maiore erunt, hoc libentius excipiet; quòd suam ipsius uideantur hæc magis explere facultatem. Atqui idem tam debilis est;ut,si uis ingruat uehementior, aut hebescere,aut interire sit necesse: quod planè uidemus in oculis caligantibus ad fulgorem solis. Mens uerò tantò acutior fit, quantò ma-

iora, altioraq́; scrutatur. Naturæ autem diuersitatem sequuntur ea quoq; diuersa, quæ eidem tanquam propria tribuuntur: si propterea caduca, & morti obnoxia hæc sunt, quia admista, & concreta; quæ pura, quæ intaminata, incorrupta, & æterna sint oportet. Animorum hanc esse naturam, nemo opinor est, qui neget; si uelit diuersitatem functionum considerare, quæ diuersis, ac repugnantibus naturis attribuitur. à mente autem, (si Peripatetici esse uolumus) quæ nullam facultatem secum unquam gerit, potissimum animal id, quod hominem nuncupamus, habet, ut sit, quod est; qua tanquam ratione ipsius propria à cæteris rebus distinguitur: magisq́;, siquem ex his, qui Aristotelis sensa nobis explicarunt, sequi mihi libeat, hacce in re Themistio assentior, quàm his, qui secus dicunt; qui fortasse nec ingenio, nec studio, nec doctrina Alexandro Aphrodisæo inferior post illum potuit aut rem subtilius indagare, aut errata corrigere, aut minus ab eo animaduersa cogitare. Neq; illud, quod in controuersia est, quo pacto Aristoteli mens interitus expers esse uideatur, negotium in præsentia nobis debet ullum facessere; inconcreta certè illi est, atq; æterna. Quòd, si quidam minus his contenti erunt, (quanquam satis, ut ego iudico, uidentur urgere) illud addamus licet, finem quidem certè suum homini præscribi, statuiq; oportere; cuius causa hominis cœlum hoc, quodq; cœlo tegitur, conditum omne constat. Hunc uerò (quando nihil aliud restat amplius) quemnam possumus alium asserere, atq; deum ipsum; qui id unum animal procreasse uideatur, in quo inesset diuina uis ingenij, maximèq; auctori cognata suo? Atq; ex animantibus quidem nonnullæ eo sensu, quo sunt natura præditæ, ad cœlum usq; uidentur extolli;

cuius quasi faciem quandam præ se ferunt agnoscere. Homo autem solus cogitatione præteruectus, atq; animo ad altiora penetrans sistit in deo:huc ubi peruentum est, labor, studiumq; eius ulterius inquirendi omne cessat:id supremum est omnium:is terminus ultimus:cuius est iucundissimus in sola tanti luminis contemplatione fructus. Potest enim mente fungi hoc munere, uitamq; degere felicissimam,ac talem,qualis est illius,cuius ipse est imago,uidelicet æternam,& immortalem: hoc autem, quandiu his carceribus detinetur animus, cum effici nequeat, nec quicquam,quod naturale sit,qualis scientiæ in nobis est amor, superuacaneum esse uideatur,planè aliquando id perfici necesse est; quod faciundum olim natura sanxit. Quare id tum demum quamoptimè præstabimus, quum hic uiuendi terminus, qui mors dicitur,solutos his uinculis ad eum remiserit; nos cum eo coniunxerit; cuius copiosissima luce irradiatis hæ tenebræ expellentur; quæ nunc scire cupientibus adimunt maxima ex parte cognitionem ueri. Tantam tamen felicitatem, quanta certè animo concipi non potest, noluit, ut absq; innocentia,qui uerus est dei cultus,& ui meritorum consequeremur. Quamobrem iussit in primis,& iustitiam homines colere, & beneficentiam exercere ea charitate inflammatos; quæ tantopere ab eodem collaudata illos ad aliorum utilitatem procurandam possit uel inuitos cogere, uel excitare torpentes: ut post liceret in æternam domum ingredi; quam rectè factorum nobis pollicitus est præmium fore amplissimum. Quò utinam,eo ipso ferente auxilium, qui est auctor,perueniamus:ut, cuius modo spes tantum in hoc diuersorio commorantibus ostentata est,tum demum assequuti tanto bono cumulatè

perfruamur. Quæ cum perorata essent, nihil, inquit Antonius, *Iuli esse debet, quod, quam insistas uiam, dudum quærentem moretur: si modo, ut puto fecisse, ea tu memoriæ tradidisti, quæ* Iacobus *noster (dicam enim uerè, quod sentio) doctè non minus, quam copiosè disseruit: mihi quidem istæc eius oratio ita placuit, ut instituto meo ualdè delecter; quod sanè post hac multò magis & sequar, & tenebo.* Tum Iulius, *comitem, inquit, habebis Antoni; ita tamen, ut, quod idem uult, otio liceat mihi aliquando honestè frui: gratiamq; habeo huic maximam; qui, cum multò plura, quàm postularam, dederit, & me, & siqui sunt, qui minus norint, quid sequantur, edocuit. Illud tamen unum ab ipso reliquum adhuc expecto, atq; etiam rogo; ut, cum unam beneficentiam coli à nobis uelit, præcipiat quo pacto benefici esse possimus: ueniam autem nunc demus aliquam longa disputatione fatigato: cras, si lubet, docentem feriati audiemus.*

IACOBI PHOLII DE BENEFICENTIA

LIBER SECVNDVS.



OCTRINA *sed uim promouet insitam. In quo Iulius nunquam poetam malè locutum fuisse arguet: qui, qua est indole præditus & honesta, & præclara, interpositam moram uix eius, quæ sequuta est, noctis ferens, ubi illuxit, properè mittit, qui nos ad*

prandium inuitaret: cui ne mora ulla à nobis fieret, obsecrabat, uereri se inquiens, ne, siqua fortè longior disputatio instituere-tur, multa pòst temporis angustijs excludi necesse foret. Paruimus adolescenti & flagranti laudabili studio praeclara discendi, & ei in primis; cui iure eius, quod obtineret, imperij, nihil, si iusta foret petitio, denegandum esse uideretur. Itaq; duabus ferè horis antè, quam pridiè, in bibliothecam secessimus. Hic, ubi & illi consedissent, & ego ad hemicyclum reuertissem, quam commodè, inquit Antonius, *Iuli accidit, ut hic dies, quo parentatur pijs omnium manibus, nos ab negotiorum publicorum cura liberarit: etenim, si aliquantisper hesterna quiete recreatos occupationes tam citò absorbuissent, periculum erat, ne, quod efficit beneficos, nobis beneficium omnium maximum minus licuisset ab eo accipere, qui te postulante id se hodie daturum recepit. Multa posthac poterant nobis hoc ipsum praeripere: restéq; se illud habet, quod est uersiculo quodam graeco eleganter expressum. Multa inter os, & offam. Id ne accideret, abs te, maturè nos uocando, sapienter est prouisum.* Quamobrem Iacobe, *nisi quid aliud moretur; aut si uidetur Iulio, loquere iam; & nos, si potes, claros effice, ac beatos: utrumq; enim, ut abs te heri didicimus, beneficentia cumulatè praestat.* Nihil impedio, *inquit Iulius; nec mihi gratius quicquam esse potest, quàm ut omnis ad dicendum praecidatur mora: tali enim auxilio mea eget aetas, cui plura, quàm percepe-rim hucusq;, perdiscenda restant: quae non minus, quàm hic, forstassis ipse nosti: age dum dicat modò, atq; ita, ut, quibus possim ad ueram aspirare gloriam, hodie planè ab eo instituar: id quod facturum confido; qui paulò plus spacij, quàm hesterna disputatione,*

ad cogitandum habuerit. Vtinam, inquam ego, Iuli, & Antoni is essem, quem amori fortasse plus, quàm ueritati, largientes esse uos fingitis: non minus enim libenter id munus susciperem, quàm uideo à uobis enixè postulari. Nam, quod quæritis, id eiusmodi est, ut nihil sit, ex quo aut dicentis cum æquitatis animi, tum etiam pietatis clarius indicium existere; aut audientibus, præscriptisq; obtemperare uolentibus ad ueram immortalitatem maiora possint adiumenta comparari. Qui siderum magnitudines, cursusq; stellarum animo ad altiora penetrantes docuerunt; qui de rebus, quarum est parens, & auctor natura, deq; ipsarum causis sunt subtiliter, ac perdoctè commentati; itemq;, qui de deo, cœlestibusq; mentibus indagantes ita locuti uidentur, ut ea quæ sierint, quæ propter nimiam rerum obscuritatem fortasse ipsis comprehendere, & cognoscere minus licuit, gratiam opinor non paruam ab his inierunt, quos ad huiusmodi arcana introspicienda uehementior interdum, quàm par sit, cura scientiæ trahit abreptos. At neq; (tametsi fructu non caret hic labor) tantam utilitatem, tot commoda, quibus uitæ mortalium omnino est opus, suo ipsi studio pepererunt; quot, quantaq; latè promanarunt ex his, qui partem illam, quæ de moribus est, complexi, omnem & sermonibus, & uitæ honestate expoliuerunt. In qua cum singularum uirtutum tractatio frugifera est, & necessaria; tum uerò nulla uel ad utilitatis comparationem aptior, uel uarietate, & rerum copia ad exornandum ea locupletior, quæ præcipit, ac docet, quæ sint unicuiq; in beneficiorum collatione agenda, & seruanda; aut ad promerendum inflammat, & impellit. Sed, quò rei pulchritudo incerti (ut uerè dicam) stimulum maiorem addit ad laborem,

hoc plus imbecillitatem uirium mearum eius susceptæ graue de= terret onus. Experiar *tamen non tam spe perficiundi, quæ uolo, quàm desiderio uobis obsequendi: nec tam ut ipse quoq; aliquid prodesse coner, (quod & probaui semper, & optaui) quàm, aut, qui melius istuc præstare possunt, incitare; aut certè (nam hæc ipsa literis quoq; mandare cogito) quid de optima uitæ ratione sentirem, testatum apud eos relinquere; quorum ætas adhuc mol= lior nec satis, quæ deligenda sunt, uidet, protractaq; cupidine fertur in deteriorem partem procliuior; nec, quod egenti poscen= dum est ab altero, consilij opē ullam ex se petens meliora quærit.* V*os autem, quæ dicam, queso ita accipite, ut uelitis.*

A*d uitia conniuere; amare næuulos,*

N*atura quos humana cauerit parum;*

aut corrigere, quæ uidebuntur. A*tqui, inquit* A*ntonius, non ui= deo facere qui prius istuc possis, quàm exolueris, quæ debes.* M*e= minisse oportet, heri cum de duabus uiuendi rationibus loquere= re, nonnulla te in aliud tempus distulisse, quæ aut institutarum rerum natura, aut angustijs locorum exclusa uidebantur.* R*ectè, inquam, admones* A*ntoni: ferè enim illa exciderant; quæ si omi= sissem, sanè is, qui est informandus, aliquantò latuisset ignotus.* Q*uanquam enim latè iam, ut audiuistis, beneficentia sese diffun= dit, tamen quo pacto, qua'ue ratione sit tam potens, tam opulenta, tam diues, hactenus non sat uobis intelligo constare; nec plus scie= re, quàm, quibus nosse cupientibus, quæ remedia uulneribus adhi= bere salutaria sit necesse, ea dicat aliquis, quæ medica ars iubeat: minus autem edoceat, quæ, qualia'ue sint; item quando, quo'ue pa= cto oporteat his ipsis uti.* I*taq; rationem hanc omnem in primis expli=*

explicabo: quam si ipsi probabitis, meam uobis in ueri huius indagatione industriam, qualiscunq; ea sit, non omnino ingratam uideri lætabor: sin libebit refellere, culpam omnem ingenij studium uobis morem gerendi meum excusabit. Primò *igitur dicant hi, (nobis enim licentiam dat rei aut nihil, aut minus ab alijs introspectæ facultas) qui ad temperantiam, fortitudinem, iustitiam, prudentiam tanquam ad capita quædam reliquas uirtutes redigi uolunt; ad quam ex his quatuor decernant beneficentiam reuocare: si ad iustitiam, cuius uim sola aut præmiorum distributione, aut commertiorum correctione metiuntur; cuiusq; munus uolunt seclusum esse à cæteris dando unicuiq;, quod suum est, quũ aut de re. p. benemerentibus pro dignitate præmia tribuit; aut impios ob scelera pœnis excruciatos interimit; bonos, quos ijs pollicetur, afficit honoribus, malis mala denunciat, notamq; inurit ad ignominiam sempiternam, damna tollit, uindicat iniurias; deniq; tanquam arbitra & restituit, quod alteri ui, aut dolo est ablatum; & æquitatem seruare cogens effrem cupiditate luxuriantem compescit; uideant obsecro, aliáne beneficia esse possint, atq; illa, quæ aut pecunia, aut honorum adeptione æstimantur. Ego uerò dari alia multò cum potiora, tum præstantiora & censeo, & hesterno sermone demonstraui.* Deinde *quid ad illos dicent; qui temperantiam malunt? aiunt enim, cum uirtus omnis aut animi affectum leniat, aut actionem regat, ut uoluptatum illam, ita omnis hanc opulentiæ esse moderatricem cupiditatis; similitudineq; affectionum quadam, quæ maior utiq; est, quàm si cum actione, circa quam iustitiam uersari uolunt, affectio conferatur; quasi affinitate coniungi.* Quanquam, (*de hoc ut profe-*

ram,quod ſentio) ſi beneficentiam liberalitatis loco reponere interdum uelim,uiſi ſunt ad ueritatem propius accedere, qui iuſtitiam aſciuerunt:cuius magis proprium eſt alteri ſeſe dedere,atq; inſeruire,quàm affectum temperare. Quòd ſi (quanquam planius id modo fiet) ea, quæ de liberalitatis,& beneficentiæ inter ſe differentia heri ſtatuimus,uera ſunt omnino,ad eam, quam neceſſe eſt illos aſſerere,tanquam ad fontem,iuſtitiam,nequaquam hanc referri oportebit. Minus uerò è quatuor, quæ ſuperſunt, tres,ſiue harum aliquam hæc comutabitur; ſi reijcitur iuſtitia, cui uidetur eſſe natura propinquior,& coniunctior. Atq; hoc dico,ab hisq; diſſentio; ſi de ea ita,ut ſit, ſtatuatur; ut, cum ſentiant has omnes à ſe inuicem diſtare, neq; alteram ſub altera contineri, nolint ad illam reliquas tanquam ad caput ſuum,principiumq; referri;nihilq; excipiant,quum de ea ſic loquuntur. Secus enim fieri poteſt,ut ſit iuſtitia multò locupletior,quàm eorum diſtributio eſſe patiatur:id quod & Ariſtoteles tradidit, & ratio nos fateri cogit. Nam,cum omnis uirtus hoc unum uelit, ſtudeat,& procuret,ut agendo,quæ præcipit,nos beatos efficiat, nobis aditum ad ſummum bonum patefaciat,ſi qua ſit, quæ nota uocabuli propria ſeiuncta quidem ab alijs tam capax,& ampla omnium in ſe cohibeat uim, rationemq; comprehendat,huic ita defertur imperium;hæc ita erit princeps;ſi tot,tantisq; bonis,quibus eſt cumulatè referta,tum ſecum haudquaquam,qui habeat, ſolum frui ſinat, ad alios eum ſeſe conuertere, in id unum incumbere coegerit,ut eiectis ſceleribus,omniq; procul abacta malitia ciues omnes ad honeſtiſſimas,pulcherrimasq; inflammet actiones;impellat ad cultum ueræ religionis rectè,integrèq; ſeruandum; ad integritatem ui=

tæ, pietatemq; uocet: deniq; enitatur, ut ijs nihil desit, quod ad ea, à quibus summa oritur felicitas, necessarium esse uideatur. Hu- *iusmodi autem esse non illam quidem, cuius paulò antè à nobis mentio facta est, suis eam limitibus, spacijsq; coercentibus; sed, quæ omnem facultatem ciuilem complectitur, & continet, iusti- tiam, qui ambigat, aut ignoret, arbitror esse neminem.* Porrò *facultatem hanc lex gignit: quæ nihil aliud est, atq; ratio quæ- dam insita in natura, quæ quasi loquens in aures sese insinuat humanas.* Hæc *sapienter omnia instituit; honesta, & salubria docet, ac præcipit: ab hac ciuitati bona cuncta expetuntur, otium, pax, tranquillitas, & salus: hanc uirtutes omnes aliquo pacto pa- rentem, suiq; procreatricem agnoscunt.* Iubent *enim leges turpi uitæ honestam mortem esse præferendam, pro patria, communiq; omnium salute excipienda uulnera, & fortiter occumbendum: libidinem uerò coercentes intemperantem, & molli lætitia efflu- entem, lasciuientemq; animum cohibentes ad meliorem frugem reuerti cogunt: legibus uirtutis, atq; industriæ habetur ratio; præmium datur labori: legum est in nefarios homines animad- uersio; doli extirpatio; expulsio malorum.* Ac, *ne singillatim om- nia enumerem, quòd & longum mihi esset recensere, & for- tassis uobis molestum audire, nihil, ex quo uirtus quælibet profi- ciscatur, & manet, prætermissum est; de quo non sit ad optimi rerum status constitutionem à sacrosanctis legibus prudenter, & prouisum, & cautum.* Legis *igitur uox iustitiam parit ipsam: quæ non est uirtutis totius pars aliqua, ut membrum corporis; sed, ut ex compage membrorum corpus conficitur, sic hæc ex om- nium colligatione uirtutum tanquam ex coniunctione partium to-*

tum quoddam conflatur, longè & troiano equo feracior, & Lucifero, ut poeta quidam è græcis inquit, splendidior: cuius fulgor magis, quàm sideris, sit toti terrarum orbi salutaris. Hæc enim *ex animis tenebras, quas obduxit improbitas, expulit; eamq; reuexit lucem, qua beneficentia antè hos ipsos illustrarat: bonum enim, cuius natura est auctor, antecessit malum, quod ipsa utiq; abhorret: planèq; naturalis in homine probitas prior extitit; secuta post improbitas culpa deprauatæ uoluntatis.* Ex quo *sanè colligi potest, parem utriusq; uideri facultatem: altera autem fortasse nihil amabilius, quæ uolens in uolentem beneficium confert: nam iustitiam uel inuitum seruare orta uitio necessitas ipsa propè cogit. Si, qui aut pœna, aut præmio homines fortes, & temperatos facit, qui timidi antè, & incontinentes erant, magnorum ijs auctor est beneficiorum, quid is faciet, qui, ut ne periculosa mortis adeunda sit alea, ardens amore in patriam mala procul à ciuibus suis antè propulsat, locumq; nullum timori relinquit, & ignauiæ: aut luxu, delitijsq; pessum ne quis eat, intemperantes homines esse non sinit; dum omnes intemperantiæ præcidendo causas fomenta nulla ministrat libidini? nec in ciuitate locum incontinentiæ ullum esse fert; ubi rationem frugalitatis prius instituit? si, qui iubet contentum suis ab aliorum fortunis abstinere, & delinquenti nunquam esse ignoscendum, societatem maximè conseruat humanam, quid faciet, qui sua dat? & interdum eiusdem tuendæ societatis causa uel in alios, uel in se delicta remitit?* Probè *quidem, & cum ad utilitatem multorum prudenter, tum ad celebritatem nominis præclarè facit; qui, qua est ipse animi integritate, æquitateq;, alios quoq; cum esse uelit, allata damna*

mulcta compensat; iniuriam nullam inultam esse patitur: at non minus sapienter, & egregiè, qui aut multò antè, si possit, nequis detrimenta ulla patiatur, consilio, & ratione prouidet. Quod illa fortassis minus facit: peccantem enim pœna sequitur, legisq; cautionem fraus antecedit: aut etiam, quo nihil habet charius, uolens, libensq; uel nolentem iuuat. Iustus uim suam foras omnem promit; non denegat auxilium petentibus; sua paruipendens, alijs tantum ut consultum sit, curat: benefici hominis opera nulla est uel fama clarior, uel gloria conspectior: ultrò præstò est omnibus egentibus: nec quemquam inuenias, qui seipsum minus respectans, cæterorum magis, quacumq; ratione potest, commoda augere concupiscat. Hæc beneficia iustitia latior si peperit, aut re, & homine beneficentia utiq; ipsa erit; atq; è uertice Iouis tanquam Mineruam prognatam dices: quæ cum una, eademq; sit, diuersa tamen ratione eadem efficiat. Aut, *quod* & *rationi*, & *his ipsis, quæ principio disserui, magis consentaneum est, primum omnium in terris cum ex re, quam unà cum homine procreatam credere par est, id nomen uirtutis esse cepisset, progressu autem temporis tulisset necessitas ad mala, & uitia quotidie pullulantia noua, & uaria pro diuersitate morborum excogitare remedia; quæ planè à uirtutibus peterentur: ab hac unà, quæ in primis hominibus consultum uellet, reliquas emanasse putandum est, suis nominibus tanquam characteribus post pro officiorum uarietate consignatas.* Cum uerò *ex omni uirtutis functione nulla uideretur esse ad hominum, quorum est ad malum natura procliuis, utilitatem communem, & salutem potior, magisq; necessaria, quàm ea, qua unicuiq; tribuitur, quod suum est, & ex ratione of-*

ficij sibi nomen adsciuit (hoc enim δικαιοσύνη significat, quia inter disceptantes res adæquet iudex) & est aliarum domina constituta: quæ socias in partem regendi imperij aduocans, sibiq; coniungens, facta multò locupletior & munus regium retinuit, & nomen. Neq; enim Saturni temporibus, quibus

In medium quærebant; ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat,

prius didicere homines ab alienis abstinere, quàm propria largiri: laus nimirum natura ipsa docente (ut pòst daretur locus fabulæ) ab his prior ex beneficentia quæsita est; qui, in altero quid uirtus aut præciperet, aut prohiberet, nullis adhuc inquinati uitijs minus fortasse norant. Quòd, si qua inter has constituenda sit diuersitas, hanc ex quibusdam euentis trahi oportebit, postulantibus ita temporibus; quæ ab eodem poeta describuntur, quum de Ioue sic loquitur.

Ille malum uirus serpentibus addidit atris
Prædariq; lupos iussit, pontumq; moueri:

ut iustitia uel in forum, & rostra deducat; uel ad gubernacula gentium populorumq; suscipienda etiam nolentes compellat; cogat præscriptis recusantes obtemperare; quietis, & otij hostes è ciuitate eijciat, proculq; ableget: beneficentia uerò ad hæc omnia uolentes inflammet; præcipites impellat; errantes studeat, si fieri possit, in uiam reducere; in officio beneficio potius, quàm pœna retinere contumaces: quod ui, ac metu illa extorqueat, id hæc alliciendo blanditer assequatur: seuerior illa, & grauior; hæc remissior, & lenior; quæ charitatem illam, à qua ipsa in primis orta est, præ se semper ferat. Quid si etiam uirtutis ipsius, & be-

neficentiæ eandem propè naturam esse demonstremus? Virtus, inquit Aristoteles, est bonorum effectrix, & conseruatrix facultas, eademq; omnis generis beneficiorum parens: quo quid firmius, si auctori fides sit adhibenda, ad id, quod dicimus, comprobandum afferri potest? quorum enim eadem est ratio, eadem quoq; illa esse necesse est; ut ferè una, eademq; res esse uideatur, diuersis tantum nominibus consignata, & distincta. Hinc opinor effectum est, ut in libris ad Nicomachum de moribus in uirtutum enumeratione nomen beneficentiæ prætermiserit; cuius uim omnem alia uoce genus uniuersum referente latissimè comprehenderat. à quo cum uirtus definitur esse animi habitum quendam ex proposito, qui mediocritatem seruet, recta ratione moderante, ea rei forma tum explicatur, à qua utiq; hæc babet, ut sit, quod antè, quàm excultus sit animus, nusquam est: cum uerò bonorum & beneficiorum procreatrix constituitur, rei natæ, & quasi iam in lucem editæ munus quoddam proprium designatur: nescit enim iners, & otiosus esse hominis animus rectè, & sapienter institutus: aliquid semper, quod se ipso dignum sit, agit: hoc tum præstat maximè, cum, quæ bona habet præcipua, ea alteri studet impertiri, hoc est, cum sapientiam omnem foras euocat; &, ut artem suam in scena ad uoluptatem histrio, sic is in oculis omnium ad utilitatem figit. Valde, inquit Iulius, mihi hæc probantur: quid enim tam uerum esse potest, quàm hominem ea lege initio à Deo fuisse procreatum, ut, cum hunc unum in terris mente sibi similem esse uellet, auctorem quoq; factis imitaretur? nec beneficentia quicquam duceret antiquius, quam primam omnium in opifice cognouisset? Atq; hoc illud est, quod, ut heri ex te discere potui, Stoi-

cos impulit, ut beneficentia præstantius nihil esse statuerent; uidelicet id illi tanquam optimum, & omnium maximum iudicarunt, quod in dijs immortalibus, quos humano generi prospicere sentiebant, esse cognouerunt. Huiusmodi, inquam, rationes multum me mouent, ut tibi libenter assentiar, atq; uirtutis huius eam facultatem esse fatear, quam tu modo uisus es asserere: sed Ciceroni respondeas oportet, qui in his libris, qui de officijs sunt,
" eandem uim esse liberalitatis, atq; beneficentiæ uelle uideatur: sic
" enim inquit. Et huic coniuncta est beneficentia, quam eandem uel benignitatem, uel liberalitatem appellari licet: aut igitur res eadem est diuersis consignata nominibus; aut Ciceronem, si non possis defendere, errasse demonstrandum. Non tantum, inquit Antonius, ea Iulius probè meminit, quæ cum hesterno die inchoasses, & breuitate quadam inuoluisses, nunc multo & clarius, & uberius explicasti; Sed eam etiam aciem ingenij præ se fert, & doctrinam, ut &, de quibus disputas, hæc optimè percipiat; &, siquid uideatur in oratione repugnare, norit. Itaq;, nisi ad illa, quæ is obijcit, responderis, haudquaquam uera hæc esse poterunt, de quibus nunc satis acutè disputas: illi autem, quos uideo te refellisse in distributione uirtutum, ex quibus duces quatuor esse uoluerunt, rectè fecisse uidebuntur. Rectè inquam (ut simul utriq; respondeam) hi fecerunt, si liberalitatis, & beneficentiæ eadem omnino sit uis, & natura: sin, ut uisi sumus astruere, diuersam, & multo ampliorem beneficentiam statuamus, aberrasse dicendum est; qui hanc aut ad eam, quam diximus, iustitiam, aut ad temperantiam referentes, ueluti quoddam totum, intra partium unam incluserunt. Ciceronis uerò auctoritatem qui tueri uolet,
huic

huic necesse erit dicere, aut, cum hæ inter se affines esse uideantur, (nam & benignitatem, & beneficentiam, & magnificentiam, & munificentiam Ciceroni liberalitatem esse uideo, idq; eo in loco, ubi de hac præcepta dat) alteram pro altera facilè ab eo usurpatam fuisse: aut, ut è communi iustitia uirtutem quandam seligere licuerit, quæ iustitia diceretur, sic ex tota beneficentia partem illam, quæ uulgi opinione potior haberetur pecuniæ pretio maximè beneficia ponderantis, extractam, eamq; iccirco nomine generis appellatam. Secus uerò si sentiat, atq; nos dicimus, idem Hercules, *quem in numero beneficorum reponit, arguet auctorem ipsum mendacij: non enim liberalitas, aut quia in causa repetundarum esset patronus amico datus, (quanquam hæc, quum beneficum statuimus, ei non defuerunt) sed amplissima erga omne humanum genus beneficia ab ea uirtute, quæ cumulatissima esset, prodeuntia hominem in concilio cœlestium collocauerunt.* Atq; *hæc, quæ de ui uirtutis huius diximus hactenus, uobis satis uideri poterant, nisi eadem uera esse confimaret etiam naturæ conditio repugnantis.* Quoniam *enim uitium uirtuti contrarium est, habetq; illud unaquæq;, cui opponitur, talem sanè repugnantiæ rationem in beneficentia constitui oportebit, qualem uidemus in utraq; iustitia: in qua non perinde fit, atq; in alijs.* Accidit *igitur, ut, cum uitium illud, quod est unicuiq; earum contrarium, propter eam, qua se instar* Protei *in uarios uultus, & ora transformat, multiplicem, secumq; pugnantem naturam hinc, & inde in aduersas partes distrahatur, uirtutem utraq; pars à se certatim utrinq; repellens, atq; protrudens ad alteram, mediam regionem tanquam uacuam, deser-*

tã, & incultam occupare cogat; ex quo mediocritas est appellata. At*q; hoc quidem pacto uirtus omnis, qua cupiditas rationi subijcitur, præter iustitiam, & beneficentiam, inter duo uitia posita est media; quorum alterum sibi plus arrogat, quàm ea patiatur; retro fugit alterum, ac tanquam iners uereatur aspectum meliora consulentis: in his autem duabus secus esse uidetur: nam, ut iustitiæ iniustitia tantum est contraria, ita beneficentiæ maleficentia; atq; utraq; uox seorsum fungitur utriusq; munere, quod uirtuti aduersatur.* Nec *mihi* Iouianum Pontanum *in hoc sequi libet, qui uirtutem hanc, ut reliquas, inter duo extrema collocans ab altero nullum prorsus uult genus officij posse expectari, ab altero malum quoduis imminere: utrumq; nominibus appellat nouis, hoc inofficiositatem, illud maleficentiam: quo nos quoq; libenter utimur. uitium enim commodius hac uoce signatur, quàm maleficij; quod magis est habitus deprauati partus; licet idipsum* Cicero *aliquando pro uitio usurparit.* Id *autem quod de maleficentia nunc asserimus, uerum esse facilè ostendit illa ratio, qua dicimus eum, qui malo aliquo afficit alterum, contrà q; faciat, quàm, qui beneficium dat, iniustum uideri, quia is, qui damnum patitur, minus; qui fert, plus lucrifacere uideatur: & , qui iniustè alijs, quod suum est, adimat, maleficum hunc omnino esse, quia magni sit auctor mali: ut, cum maleficum hominem, qui benefico rectà opponitur, iniustum esse statuimus, qua ratione iustitiæ inimica est iniustitia, eadem quoq; maleficentiam cum beneficentia pugnare necesse sit.* At *peccatum leuius committit, qui beneficium, sese ab huius collatione retrahendo, aufert. Quasi uero, ut tam iniustus habetur, qui, quum potest, iniuriam non propulset ab altero, quàm,*

qui eam inferat; sic non male is, turpiterq; agat, qui, quod dare potest, beneficium egenti neget: aut non tam bonus debeat esse, quàm uideri non malus. Mihi quidem uidetur non magis spoliare beneficio, qui non habenti illud negat, quàm, qui possidenti adimit: siquidem eiusdem iacturæ, damni'ue uterq; est causa: deterior autem nonnunquam; qui nihil benefaciendo maleficus esse mauult; quia beneficium clam tollat, quod facilius ab eo, qui apertum malum denunciat, interdum extorqueri posse uideatur. Præterea, si boni loco est, mali, cum possis, nihil facere, cur malum utiq; non esse dicamus, à quo, si facultas promerendi non desit, nihil boni? cumq; contra naturam sit obesse alteri, secundum uero eandem iuuare, si uterq; beneficio priuet, par etiam delictum esse debet: uterq; naturam deformat iniustus, qui non persoluit, quod debet: igitur & maleficus. Porrò eam legem homini natura dedit, ut esset bonus, ut prodesset: id si non faciat, habeatur improbissimus; qui ius naturæ uiolare, aut potius immortali deo repugnare uideatur. Qui, cum inutilem, & infructuosam arborem execratus suis etiam exuit folijs, eos, qui, cum possent, boni nihil, quod ad alterum redundaret, agerent, tanquam magno scelere sese astringentes diuino iudicio condemnatum iri declarauit. Huc pertinet eiusdem illa de talentis oratio: ad quæstum enim ea exercenti præmium proponitur maximum: negligenti pœna. Haud tamen negarim usu receptum esse, ut potius dicatur maleficus, qui uim, malum'ue alteri ipse affert, quàm, qui negat beneficium, quod dare potest: præsertim cum legis in eum, qui, exempli causa, homicida sit, animaduersio sit grauis; in alterum non prohibentem cædem nulla. Verum lex, quæ hominum arbitratu

posita est, ne temere, & interdum etiam contra æquitatem quicquam fiat, improbitatem hominis ex facto iudicat; quod palam est. Quod autem intus in negante auxilium latens est, uitium hæc nescit. Secus, uti diximus, postulat altera lex, eaq; longe potior, & firmior; quæ hominem bonum magis esse, quàm uideri cogit. Pugnat igitur maleficentia tantum cum beneficentia, nec ab iniustitia secerni potest: sicut nec eodem auctore Pontano à iustitia beneficentia. *Quàm planè æquum est omnem continere probitatem, si in uitio nulla non insit improbitas. An maleficium non esse dices aut metu periculorum patriam, amicitiam'ue deserere, atq; prodere? aut in scelere uelle mortis uideri contemptorem? an peccatum eius leue, qui protractus libidine pudicitiæ aut uim affert, aut fucum facit? parum'ne tum ira, si uehementior hæc efferbuerit, tum mala ambitio alteri obesse potest? beneficum'ne esse statuemus; licet hunc sæpe uideas plerisq; multa de suo dantem, neq; multis in rebus auxilium denegantem? Hæc uitia, consimilisq; generis si hominem non nisi maleficum esse cogunt, beneficus utiq; esse non potest, nisi sit tum pietate, tum ijs instructus uirtutibus, quæ alijs tantum, si uelis, prosunt, quantum uitia solent esse detrimento. Quod ipsum potest Aristotele etiam auctore comprobari: nam, si honor uirtutis sit præmium; idemq; definiatur, signum esse opinionis eius, quam quis habet de alterius beneficentia, omnino statuendum uidetur, uirtutem omnem, cui debetur honos, in ipsa beneficentia contineri. Quo quidem in loco obiter quendam hallucinatum esse contendo; in uerbo enim εὐεργετεῖν, quo in hac ratione explicanda Aristoteles utitur, semper alterius spectatur utilitas: nec is uidit, qui*

putauit idem signare εὐεργετεῖν, quod καλῶς ποιεῖν, cum tantus Philosophus rethor esse tum mallet, honoris definitionem illam protulisse, quæ uulgo facilè prolaretur & in cæteris sibi quærenti præsidia, & eos ferè solos, qui iuuent, admiranti, & colenti: quanquam nihil prohibet dicere, ex ipsa philosophia esse petitam; si uirtus uim suam ad alterius utilitatem promat, efficiaturq; beneficentia. Qua planè nihil est aut rerum copia uberius, aut fructu iucundius, aut etiam natura ipsa perfectius: quæ omni laude cumulata uirtutis hominem ex interiore animo foras omnem euocantem sapientiam, atq; in oculis omnium esse cogentem ad fructum sui tenuissimum uel emolumenti, uel gloriæ sese conuertere ad omnium commoda augenda uelit. Quibus ex rebus accidit quidem, ut beneficum euadere difficillimum sit: quod enim præclarum est, qualia sunt animi bona, haud facilè est, ut quis paret, nisi aliunde, à Deo scilicet in primis auxilium adsit, & ipsi ad parandum impedimenta tollantur. Atq; adeò ex omni sæculorum memoria paucos enumerare possumus, qui sint eam, quæ tum apud homines ueritatis ignaros esse poterat, gloriam ex collatione beneficiorum consequuti. Vbi autem deum hominem uidere mortales, mox sequuta est inter hos ipsos ex beneficentia cumulata laus: non enim ea tantum beneficia, quæ uita hæc caduca requirit, nostri attulerunt, quibus facere hoc licuit: sed etiam omni ratione elaborauerunt, ut non ipsi modo, sed cæteri quoq; his bonis aliquando frui possent, quæ filij Dei profusione sanguinis tanquam iure hæreditario homini parta obuenerunt. Aut etiam, ut sit omni uirtute ornatissimus, quam ad omnium utilitatem exercere possit, si careat opibus, & ijs bonis, in quæ antè, quàm

sit possessor, nullum ipse habet imperium, beneficus'ne is, quem modo quærimus, esse poterit? Hoc *si desit, iacebit aliquando propè sepulta beneficentia: quæ si nihil iuuare possit, ut uelit, nomen tamen uidetur amittere: idq; planè ex eo accidit, quia non sibi, ut dictum est, sed alteri inseruiat: quod quum non sit, neq; etiam beneficus ullus & haberi, & dici solet: neq; hîc uoluntas à plerisq; attenditur; sed, quæ à uoluntate proficiscitur, actio: nec animo beneficentia iudicatur, sed rerum pondere. Quin ex sumptibus, qui aut amicorum, aut egenorum, aut propinquorum causa fiunt; ex largitionibus prætere a, operibusq; magnificis potissimum uidetur benefici & laus, & nomen trahi. Vulgus enim in dijudicatione bonorum, & beneficiorum tam est corruptus iudex; ut, sicut ægrotantis palato febris æstus uehementior, quæ dulcia sunt, interdum amara refert, cogitq; salubria reijcere, inimica uerò, illiq; arridentia quæritare, sic hæc bellua bonorum falsa imagine decepta beneficia ferè sola metitur pecunia, ijsq; rebus inhiat, quarum abusus, qui semper penes multos esse cernitur, in præceps deturbat incautam. Sæpe etiam lues hæc in principes defluit; quo nihil potest accidere perniciosius: auget enim exemplum publicum ciuium insaniam; furorisq; priuati blanda est conciliatrix cupiditas magnorum, & illustrium uirorum; qui demum & se, & cæteros beatos fore putant, si omnibus huiusmodi affluentes copijs habeant, quibus possint inani pompa diuitiarum, & largitionibus falsam gloriam, felicitatemq; suam uiuersis ostentare. Quæ si ei, qui cupit esse beneficus, non dentur, aut adimantur, quî summe illud præstare poterit, quod uult ipse profiteri; cum haud contemnenda pars eorum desit, quæ ad uirtutis huius cultum, tan-*

quam ligna, aut instrumenta fabris, uidentur esse necessaria? Hæc iccirco dicuntur, ut appareat, si hoc omnino aut uulgi opinione metiamur, aut eorum fortasse philosophorum, qui in summi boni ratione aliquando ad opes declinauerunt, quàm sit magnum, & arduum uelle nauem eò impellere, quò illa neq; absq; uentorum aspirantium secundo flatu prouehi potest, neq; absq; maxima artis peritia appelli. An (si tamen ulla sit) potius excludenda fortuna? nihilq; eius in uirtutis regno permittendum est imperio? atq; ita decernendum, pro facultate beneficentiam existere; & ab unoquoq; non quo, quanto'ue beneficio alterum promereatur, sed, quo animo, & quibus uiribus, esse postulandum: quæ autem adest difficultas, hinc omnem oriri; quòd id esse non possit absq; ea charitate, quam Christus ab unoquoq; exigit, & moribus; quorum cultus homini haud paruo labore constat. Illudq; insuper addamus, si lubet; tametsi uolenti cuipiam liberalitatis exercendæ, aut nauandæ operæ, aut faciendi aliquid, quod cæteris prosit, nulla potestas datur, aut planè ab eo aufertur, qui habeat, non tamen iccirco pro benefico non habendum. Diuo Francisco, cum profectus esset in Syriam, ut Christianum dogma prædicatione propagando gentes illas tanto beneficio cumularet, à Sultano dicendi sublata est facultas: dare uoluit ille beneficium, quod potuit; ast alij accipere noluerunt. fuit igitur is & beneficus maximè: & quiuis erit, (licet minus hoc admittat uulgus) in quo constantem uoluntatem sequetur perfecta cognitio promerendi: laude populari hic caret; uirum homines non norunt: at rectæ conscientiæ fructu, quo contentus esse debet, non caret: at huius in sensa sese insinuans omnia optimè percipit, qui maximè

sit possessor, nullum ipse habet imperium, beneficus'ne is, quem modo quærimus, esse poterit? Hoc *si desit, iacebit aliquando propè sepulta beneficentia: quæ si nihil iuuare possit, ut uelit, nomen tamen uidetur amittere: idq; planè ex eo accidit, quia non sibi, ut dictum est, sed alteri inseruiat: quod quum non fit, neq; etiam beneficus ullus & haberi, & dici solet: neq; hic uoluntas à plerisq; attenditur; sed, quæ à uoluntate proficiscitur, actio: nec animo beneficentia iudicatur, sed rerum pondere.* Quin *ex sumptibus, qui aut amicorum, aut egenorum, aut propinquorum causa fiunt; ex largitionibus præterea, operibusq; magnificis potissimum uidetur benefici & laus, & nomen trahi.* Vulgus *enim in dijudicatione bonorum, & beneficiorum tam est corruptus iudex; ut, sicut ægrotantis palato febris æstus uehementior, quæ dulcia sunt, interdum amara refert, cogitq; salubria reijcere, inimica uerò, illiq; arridentia quæritare, sic hæc bellua bonorum falsa imagine decepta beneficia ferè sola metitur pecunia, ijsq; rebus inhiat, quarum abusus, qui semper penes multos esse cernitur, in præceps deturbat incautam. Sæpe etiam lues hæc in principes defluit; quo nihil potest accidere perniciosius: auget enim exemplum publicum ciuium insaniam; furorisq; priuati blanda est conciliatrix cupiditas magnorum, & illustrium uirorum; qui demum & se, & cæteros beatos fore putant, si omnibus huiusmodi affluentes copijs habeant, quibus possint inani pompa diuitiarum, & largitionibus falsam gloriam, felicitatemq; suam uiuersis ostentare.* Quæ *si ei, qui cupit esse beneficus, non dentur, aut adimantur, qui summe illud præstare poterit, quod uult ipse profiteri; cum haud contemnenda pars eorum desit, quæ ad uirtutis huius cultum, tan-*

quam ligna, aut instrumenta fabris, uidentur esse necessaria? Hæc *iccirco dicuntur, ut appareat, si hoc omnino aut uulgi opinione metiamur, aut eorum fortasse philosophorum, qui in summi boni ratione aliquando ad opes declinauerunt, quàm sit magnum, & arduum uelle nauem eò impellere, quò illa neq; absq; uentorum aspirantium secundo flatu prouehi potest, neq; absq; maxima artis peritia appelli.* An(*si tamen ulla sit*)*potius excludenda fortuna? nihilq; eius in uirtutis regno permittendum est imperio? atq; ita decernendum, pro facultate beneficentiam existere; & ab unoquoq; non quo, quanto'ue beneficio alterum promereatur, sed; quo animo, & quibus uiribus, esse postulandum: quæ autem adest difficultas, hinc omnem oriri; quòd id esse non possit absq; ea charitate, quam* Christus *ab unoquoq; exigit, & moribus; quorum cultus homini haud paruo labore constat.* Illudq; *insuper addamus, si lubet; tametsi uolenti cuipiam liberalitatis exercendæ, aut nauandæ operæ, aut faciendi aliquid, quod cæteris prosit, nulla potestas datur, aut planè ab eo aufertur, qui habeat, non tamen iccirco pro benefico non habendum.* Diuo Francisco, *cum profectus esset in* Syriam, *ut* Christianum *dogma prædicatione propagando gentes illas tanto beneficio cumularet, à* Sultano *dicendi sublata est facultas: dare uoluit ille beneficium, quod potuit; ast alij accipere noluerunt. fuit igitur is & beneficus maximè: & quiuis erit,* (*licet minus hoc admittat uulgus*) *in quo constantem uoluntatem sequetur perfecta cognitio promerendi: laude populari hic caret; uirum homines non norunt: at rectæ conscientiæ fructu, quo contentus esse debet, non caret: at huius in sensa sese insinuans omnia optimè percipit, qui maximè*

abdita quæq; perscrutatur, deus; à quo utriq; merces magna tribuitur. Hoc non uiderunt pleriq; pilosophi; fateor: nec tamen falsum, quia ignoraucrunt. Nos doctorem sequimur, quo nec peritior quisquam, nec uerior, Christum uidelicet: cui nihil æquè gratum est, atq; cum innocentia, tùm uerò erga omnes uoluntas iuuandi propensa: quæ una illi est loco ingentis beneficij; utcumq; nulla uolentis culpa eius conferendi facultas est erepta. Qui & opulentos homines, & florentes honoribus quo pacto futuri essent benefici, multò doctius, & sapientius, quàm cæteri fecerint, edocuit; & inopes, obscurosq; hac laude, si libenter, quod possent, darent, ornatum iri clarissimo sui testimonio demonstrauit, ipse & inops maximè, prorsusq; egens; & qui alieno habitu Deum ipsum oculis humanis referret. à quo enim post conditam huius uniuersi molem tanta ad humanum genus bonorum effluxit copia? unde densissima caligine obducto tam copiosa lux affulsit? unde prostrato atq; exanimato salus? Quamobrem refellendi sunt, ac prorsus reijciendi, qui nec beneficentiam, nec huius comites in natura diuina collocauerunt. Quonam aut affectu, aut cupiditate, aiunt, moueri illam, & trahi, ad quæ sedanda, & moderanda necesse sit uirtutum adhibere remedia? quam omni perturbatione uacantem nulla, nec

Aeui longinqua ualet mutare uetustas;

nec ira, quibus caret, membra inflammare; nec uoluptas blanda meretrix titillare; nec metus pallore inficere, nec rubore pudor? quæ interitus omnis expers, nullius opis indiga, nullum sibi cupiditati locum relinquens in altissimo otio degit; seq; ipsam contemplans tanta felicitate fruitur, quantam nec animo concipere est,

nec

nec uerbis proloqui? Quasi omnino sit necesse nulla ratione inesse, quia alia, atq; in homine, in ea insint: aut uerum illud non sit, quicquid deo tribuitur, id esse deum; homini uero, non hominem esse, sed naturæ hominis consentaneum quiddam, & proprium. Aut quidem bona esse hæc negabunt, aut auctorem deum: alterum non licet ipsis non confiteri ex tripartita illa bonorum diuisione, quæ maximè apud eos est celebris, & peruulgata; alterum, præter notam insignem mendacij, etiam nefas. Nam, si deum motus omnis principem statuant, eiq; uim tribuant mouendi reliqua, qui auctoritatem illa perficiundi ab eo auferent, quæ, si desit motus, et corruere omnino est necesse, & nusquam esse possunt? Si enim consistat hoc cælum, nec oriri, nec interire possunt ea; quæ rebus propria dicuntur accidere: res enim nullæ sunt, quibus illa contingant. Quare si homines non sint, multò minus reperietur, quod his tanquam aduentitium aliunde uolunt accersiri. Bonorum au*tem causa præcipua homini est* Deus; *à quo nihil mali potest existere; quia sit opt. max. malorum ipse sibi homo, & hostis Satan: nequis mali etiam auctorem impiè cogitet; quia sit improbus, quem procreauit: bonum quidem à prima origine effecit optimus; & liberum; malum legis diuinæ contemptus: quo crimine libertas quoq; magna ex parte ei adempta est.* Præterea *curam rerum omnium, quæ mundo continentur, & regimen ei adimunt, qui sic loquuntur.* A*tqui uideant ipsi, & cogitent, qui hoc dicunt, quo pacto istuc tueri possint: neq; enim mihi perspectum est adhuc, & exploratum.* V*t autem taceatur, quod de motu modo explicatum est; naturam quum dicunt è numero esse causarum illarum, quæ finem quendam in perficiundo opere considerant, & sequun-*

tur, aut finem hunc dicendum est naturæ ipsi esse cognitum: secus enim neq; finis aget causa; aut, si ei ignotus is sit, ut certè est; quippe quæ tanquam instrumentum ex ea natura, quæ prima mouet, habet, ut causa sit omnibus præcipua, quorum est effectrix & mouendi, & quiescendi, ab alio tanquam duce, qui, quò pergendum sit, nouerit, manu, ut aiunt, illucusq; perducetur, quò est ei in effectione operis perueniendum: ita altera meliore natura est opus, & præstantiore, quæ inferiorem, ac deteriorem regat, & moderetur. Cuius functio muneris nihil planè aliud est, atq; ea, quàm Græci προνοιαν *nominant, melius fortasse, quàm nos, qui prouidentiam dicimus; quia sit æternæ mentis concepta antè, & iam indè ab initio prouisa rerum dispensatio. Quæ intuentibus nobis tam manifesta est, & comperta ex ipsa tum causarum, tum naturarum ui, ordine, ortu, progressu, quæ contemplantes admiramur; ut impudentis sit magis, & stulti in re tam explorata uelle quærere, quæ sensu ipso percipiuntur, quàm dubia, & obscura nescientis; ne dicam impij, & scelerati hominis: qui de deo & male sentiens, & peruersè loquens eius tum potentiam, tum bonitatem aut imbecillitate sua, aut deprauata, falsáq; opinione metiatur.* Iamq; *ipsi damnant impietatis eos, qui deos prorsus nullos esse putauerunt.* Hos autem cum as*serant; si (quod tamen nusquam affirmant) desides esse, & ociosos uelint, propè istuc perinde est, ac si usquam esse negent: nihil enim eorum, quæ sunt, de ipsorum sententia frustra est. Nimirum hoc negabunt; neq; deum inertem esse patientur; dicent enim mouendi initium omnino esse ab illo; quem, præstare ut id queat, & eximunt ab omni contagione materiæ, & immobilem penitus*

statuunt, nullis circumseptum locorum spacijs concludentes: præterea ad hanc mentem puram maximè, & simplicem referri omnia, atq; unũquodq; eniti pro sua conditione, ut, quamproximè fieri possit, accedat communione naturæ. Hæc quum de deo disputant, uidentur quasi imprudentes, nec satis, quid dicant, considerantes uelle illum constituere omnium moderatorem, ac regem, uidentem omnia, sentientem, omnia procurantem: idq; adeò præsertim, quòd, cum eorum quidam affirment, omnium notitiam habere iccirco, quòd in seipsum intuens ea uideat, & sentiat, nunquam labore defatigari, nunquam quiescere, nunquam cessare uolunt. Itaq; siue rerum formas omnium singillatim percurrentem mentis agitatione foras promanante comprehendere, siue (quod uerius est) secum de seipso meditantem, neq; unquam cogitatione egredientem harum ipsarum similitudines in se tanquam in speculo recognoscere dicant, illud assequuntur, ut his necesse sit concedere, quod aut nolunt, aut uolentes quidem, ambigendo semper, atq; interrogatiunculis quibusdam urgendo uidentur abnegare. Nam, qui principia, & causas rerum nouerit, ei reliqua, quæ ex his oriuntur, explorata maximè, & cognita esse oportet; deus est princeps omnium causa; seipsum cognoscit, qui, qualis'ue sit, percipit: igitur & ea, quorum est ipsa causa. Quare non est, quod tantopere in deo reformident nomen hoc prouidentiæ; qui rem manifestò uideantur astruere, & probare: nec, cum animi bonis quicquam reperiatur aut melius, aut deo ipsi similius, quo nihil est perfectius, negent aut ad eum, qui sit rerum terminus ultimus, ac supremus (id quod uideo magis ipsis placere) hæc ipsa referri; aut ab eodem tanquam effectrice causa proficisci: utrumlibet ue-

lint, constat quidem errare illos, si contendant uirtutes Deo *haudquaquam esse tribuendas: qui, dum ordinem rationem quandam esse statuentes eius causam naturam esse uolunt, uidentur illam iustam, fortem, liberalem, temperatamq; constituere*. Atq; *hæc ex* Peripateticis *ipsis tueri fortè possumus; etiam si mundi initium nullum esse statuamus. Quantò uero magis, si, quod stoici uoluerunt, orta concedamus: qui rerum materiei, ex qua, & in qua omnia ipsorum sententia sint, fictricem, & moderatricem diuinam prouidentiam asseruerunt*. Apud Ciceronem Balbus *haud omnino falsus mentem inquit, à suis dijs ad homines peruenisse, ob eamq; causam maiorum institutis mentem, fidem, uirtutem, concordiam consecratas, ac publicè fuisse dedicatas: quæ non conueniret penes deos esse negare, cum eorum augusta, & sancta simulacra homines uenerarentur*. *Itaq; à* Deo *tanquam à fonte copiosissimò bona huiusmodi in nos omninò deriuantur: quæ, sicut alia, propter impedimenta, quæ permulta sunt, non absq; magno accipientium labore hominibus impertiuit; ut, cum animorum morbos, qui ex contagione corporis contrahuntur, sanauissent, possent auctori suo quamsimillimi illuc reuerti, unde eorum profecta est origo*. Vt *cum uidemus globum lunæ natura quidem opacum & tenebricosum luce aliunde accersita illuminari; solem uerò non aliena, sed propria splendescentem radiorum effusione, & iactu illam ita accendere, ut alieno tamen habitu, cum proprio non possit, referat sese, atq; aspectibus obijciat humanis; sic & ipsius, reliquorumq; siderum effector, & omnium procreator deus in hanc corpoream molem, qua humani animi conteguntur, lucis suæ radios ex altissimo cœli domicilio demit-*

tens cæcam prorsus inflammat; expulsisq; procul tenebris animi, quæ uitia ipsa sunt, ni uelimus aduentanti luci fores occludere, uirtutum fulgore collustrat. Atq; isthæc obiter hoc modo à nobis breuiter percursa fuerunt. Quanquam quis inuentis frugibus glande uesci uelit? Quid homines adimus; quid ignaros consulimus; quid auxilium petimus ab infirmis, qui deum habemus? qui ueritatem ipsam (ut ita loquar) manibus tenemus? qui ab eo, quo nemo nec firmior, & potentior, nec ad præstandum benignior, & promptior, certam opem expectare possumus? Cur nonnulli magis impij, quàm ueritatis cupidi malunt philosophis credere; qui, quæ proferrent, plerumq; adeò ignorauerunt, ut pugnantia dixerint? An post receptam lucem tenebræ sunt nobis affectandæ? Quis Christo, quem deum, & hominem quotidie audimus docentem, iustior; qui totius terrarum orbis iudex est à deo patre constitutus? Quis continentior, & temperatior, qui uel sola alienæ uxoris cupiditate adulterium iudicauit? Quis æquè imperia contempsit, & opes, qui ne locum quidem sibi relictum dixit, ubi languentia, & defatigata membra reclinaret? cum tamen niduli affixi, & pendentes auibus ipsis essent ad quietem dati. Quis minus rixarum appetens pacem, & otium tantopere aluit, & fouit; qui alteri haud parum cuiuis de suo concedendum iusserit? Quis in aduersis constantior, quis fortior; quem non erecta crux in alto, ac prominenti loco, non tormenta, non mors, quam ultro pro communi salute humani generis oppetijt, deterrere potuerunt? Iam uero, qui ijs bonis excelleret maximè, quibus beneficus esse posset, beneficentiam tantum extulit, maximorum ipse beneficiorum auctor, ut uel hostes cum amandos, tum uerò officijs ipsis

& iuuandos; & sibi, si fieri possit, ab unoquoq; deuinciendos esse praeceperit: ut, qui haec animaduerterit, nihil ei sit neq; de prouidentia dei, neq; de beneficentia, alysq; consimilibus, ipsi'ne insint, quaerendum amplius, quod sit aut ratione firmius, aut auctoritate maius. his, reiectis hominum multa magis inquirentium, quàm pauca certa cognitione assequentium contentionibus, contentus esse debet. Quis, *inquit* Antonius, Iuli *istaec non libenter audiat, aut etiam non laudet; quae à* Philosophis *nec satis animaduersa, nec, nisi à paucis, isto modo explicata?* Nam pleriq; *eorum fari nesciunt; ut, quum quid enunciant, cogitata uix intelligas: quidam uero ita se mendacijs addixerunt; ut ferè pudeat ipsos* Christianos *se philosophos esse profiteri: ignari tamen, & cùm leues, tum etiam impij; qui & alienatione à ueritate falsam ex doctrina gloriam aucupari studeant, & minus pietatem uereantur.* Vera, *inquit* Iulius, *dicis: nec est, quod studium meum uos huc accersendi praeproperum accusetis: ex quo planè fructum iam illum coepistis; ut quàm sint ampla, & egregia, ad quae omnes uocantur, cognosceretis.* Pergat *modo: cupio enim hoc pacto fieri beneficus: ut, non sicut* Herculem *in coelum fama sustulit: sed, cui solida ex beneficentia tribui potest laus, cum* Christo *unà immortalitate fruar.* Rectè, *inquit* Antonius, Iuli *sentis: atq; hoc quidem est sapere: neq; alia ratione, quae sit potior, munus istuc amplissimum traduces: hunc uero institutum suum persequi sinamus.* Illud *igitur, inquam, manifestum est horum animi bonorum eam esse facultatem, quum hominibus tribuuntur; ut aut affectus omnes, quibus hi torquentur, leniant, temperent, mediocritatemq; quandam seruare cogant; aut haben-*

di, imperandiq; libidinem coerceant: doceant, quod honestum sit, persequi: suis, & ciuibus, & omnibus, ut possint, prodesse uelint; non ut omnino tollant, atq; ex animis euellant, quæ natura ipsa homini indit, cum primum pars eius purior iussu imperatoris dei corpori coniungitur, fieriq; non potest, quin sordibus assiduè uolutata aliqua ex parte maculetur,

Igneus, inquit Maro, *est ollis uigor, & cœlestis origo*
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus, moribundaq; membra.
Hinc cupiunt, metuuntq;, dolent, gaudentq;.

Beneficentia igitur ita hominem afficit; ut, cum cæteris incommoda, detrimentaq; afferre peius, quàm dolorem, grauius, quàm mortem, iudicet, maleficos homines hostili animo oderit, primò quidem nihil hoc ducat esse dignius, nihil laudabilius, quàm pro defensione, propagationeq; ueræ pietatis; pro salute; pro honore, proq; utilitate patriæ, amicorum, ac necessariorum suorum, omnium deniq; laborare; omnia, quæ fieri possint, tentare; nihil prætermittere. Dein, *quo pacto istuc faciendum sit, docet: præcepta dat: terminos quosdam præscribit; quos qui præterit, benefici & naturam, & nomen amittit: præcipit habendam esse rationem personarum, temporum, locorum: beneficia quæ dentur, omnia esse ponderanda: quid possit quisq;, cogitandum.* Et, *quoniam alterum aut opibus iuuare, muneribus afficere, commodis augere; aut honoribus ornare, amplificare dignitate, imperio extollere, & beneficia sunt, si recta hæc ratione fiant; & plerisq; beneficiorum id genus præcipuum; benefico utiq; seruanda est distribuendi ratio, quæ est iustitiæ; præsertim si acciderit, ut ad*

hoc uitæ institutum accedat publicum administrandi munus: etenim quantum meretur cuiusq; dignitas, ei est dandum. Differt autem à iusto beneficus, quod alteri sola æquitas curæ est: non amore ducitur: non obruitur odio: non propinquitatis ratio flectere; non amicitiæ iura allicere; non priuata iniuria inflammare possunt hominem & eam, quam personam gerit, decorantem, & communi saluti sola animi integritate consulentem. Alter uidetur *aliquid amori posse largiri; præsertim si priuatus fuerit: tunc enim uenia aliqua fortassis ei danda, si amici, aut necessarij causa aliquanto plus uelit, aut agat: ut amicitiæ, & affinitati concedendum aliquid omnino esse uideatur.* Id *enim natura ipsa exigit: ut, si plures sint, qui dignitate pares, & æquè indigentes subleuandi sint pecunia, aut ad honores prouehendi; si, cum omnes boni sint, alij amici, alij non inimici, amicis sit aut solis, aut plus utiq; tribuendum; aut etiam, nisi sit insignis personarum inæqualitas, necessarius paulò inferior apud hunc locum principem obtinebit. In quo illud cauendum est; ne amicitia hæc, propinquitas'ue aut rei.p. obsit, aut pluribus.* Est *autem damnum leue, ac ferendum; si is tantum, qui posthabetur, aut pauci sentiant: at si beneficium cum multorum iactura amico tribuitur, turpiter fit: à quo quidem amicitia ipsa, quæ cum honestate semper coniuncta est, maximè uidetur abhorrere.* Atq; *hoc, quod diximus, ita accipiendum est, ut amici leuius improbi sint: nam, qui maximè, cum his amicitia huic nulla esse potest: est enim is, de quo loquimur, improbitatis hostis maximus: neq; illic potest esse uitium, ubi uirtus domicilium sibi consecrauit.* At, *si magistratus sit, aut quouis modo cæteris imperet, ne tantillum quidem ab orbita dilabetur:*

tunc

enim non beneficia tantum ab eo, sed uirtuti, & meritis etiam præmia expetuntur; nec de suo impertit quicquam, sed de alieno; quippe qui non tum planè illud profiteatur, quod suum ipsius magis est proprium; sed iustus potius uelit & esse, & haberi. Quanquam nihil prohibet ad iustitiam in publico munere beneficentiam adiungere: charitas enim erga patriam, & omne humanum genus uidetur cum multas uirtutes, tum iustitiam in primis peperisse: nec, ut sæpe dictum est, beneficium est maius, quàm, quo humana societas conseruatur. Ad quod munus obeundum qui propensius studium suum affert; idq; non coactus, nec cupiditate aut honoris, aut pecuniæ, ut in plerisq; cernimus, impulsus; sed ultrò, ac libens aut oblatum suscipit, aut etiam, ut possit, bonis artibus quærit, uirtutem cum uirtute coniungit; quarum affinitas magna est; nec, sicut uitium & secum pugnat, & seipsum interimit, alterius necessariò sequitur interitus, si alteram perimas omnino, ac tollas. Quare efficitur, ut, qui opes suas ad aliorum utilitatem confert, ei prouidendum sit, & laborandum, qui, qualesue sint, quos iuuare uult, optimè ut norit; ne forte ex beneficio (id quod interdum euenit) oriatur maleficium. Horum enim bonorum ea est conditio, & natura, ut bona sint, siquis bene utatur; contrà autem mala, si malè: licet enim det, quæ sua sunt, nec sit necesse, ut de repetundis; sic de expensis causam apud iudices dicere; ratio tamen, quæ una est in omnibus, eandem rectè uiuendi, & agendi regulam in priuatis hominibus exigit, quam in excelso, & illustri loco constitutis: quam si omnes ducem sequerentur, nec ad tribunalia, quæ nulla essent; nec ad iudicia ulla confugere esset opus: suo enim contentus quisq; aliena quæ-

rere nefas arbitraretur. Error *autem, aut peccatum in rem.p. administrantibus grauius icc irco uideri solet, quia unius aut insipientia, aut scelere multi plectuntur.* Huic *tamen, ut dixi, detur facultas in dando paulò liberior; nec ad calculos reuocanda sit beneficentia: propinquis, necessarijs, & amicis prius consultum uelit: faueat; opem ne deneget, egentibus præsertim, & haudquaquam, quibus succurratur, indignis: quorum in numero præstantiores minus uirtute conspicuis; deterioribus meliores semper sunt præferendi.* Hoc *ubi prudenter egerit, & se suis beneficum ostentarit, alios quasi dato, ac sublato signo è specula properè ad se uocet: patrocinium his polliceatur suum: tueatur, quos ui oppressos à potentioribus uiderit: alat suis opibus, quibus ad uitam sustentandam alimenta desunt: ad honorum gradus prouehat, in quibus & uirtuti sua deberi præmia cognouerit; & ex ipsorum cum sapientia, tum æquitate ciuitas magni alicuius futuri boni spem certam potest animo concipere: idem enim tum beneficium & priuatum efficitur, & publicum; quum ad hominem probum, & sapientem gubernacula deferuntur.* Ac *fortassis quidem; si acciderit, ut is, quem nunc dicimus, & inops, & ope destitutus nulla ratione possit emergere, ni aliquo adminiculo nitatur, propinquitas tunc omnis, & amicitia excludi, ac posthaberi debet: nihil est enim homini ei, quem formamus, aut uirtute charius, aut patria, communiq; bono antiquius.* Hoc, *qui ignorat, discat is à* Christo; *nec, si philosophis minus fidem habeat, quorum multos cernat, & accuset errores, deum (quod nefas est) falli posse putet.* Qui, *cum nunciatum ei fuisset, matrem, ac fratres (hoc enim nomine solitus est doctor ipse appellare discipulos) qui unà comi-*

tes accesserant, intus docentem, ac iudæorum peruicaciam redarguentem dudum foris opperiri, Mihi uel soli sint, ait, aut matris, aut fratrum loco, qui fecerint, quæ deum patrem uelle cognorint; ægre nimirum ferens aut cura suarum rerum grauiore cuipiam pietatis officia præpediri, aut uirtuti affinitatem omnino anteferri. Hæc, *consimiliaq; huius generis, quæ suis locis melius explicabuntur in dandis beneficijs, quæ diximus, sunt consideranda, & seruanda.* Verum *meminerit non continuò esse beneficum, qui & hæc ipsa, & alia omnia faciat, quæ sint alijs utilia; nisi cum prudentia coniungatur perpetua, & constans semper alterum promerendi uoluntas.* Etenim *in omni uirtute quatuor omnino requiruntur, cognitio; uoluntas libera, quæ deliberationem sequitur; firmum, atq; animi inconcussum rectè agendi propositum: præterea, ut actio omnis, cuius est procreatrix uirtus, non aliam sui causam agnoscat, & uelit, atq; honestum ipsum, hoc est deum; à quo utiq; ipsam est necesse prodire.* Censent *enim philosophorum maximi, cum reliqua bona, quæ à nonnullis ipsorum appellantur indifferentia, referantur ad aliud, sola hæc, quæ animi sunt, gratuita esse oportere; neq; hic perinde esse, atq; in his, quæ arte constant, in quibus & sola eius quæritur cognitio, & operis ipsius est laus omnis: nec, fortis ut sit is, qui pingit, necesse est; nec ad laudem statuæ artificis temperantia adiungitur; nec, quàm bene, quamue malè affectus sit ædes exædificantis animus, quæri solet: cui, (siqua tamen est uirtute exornandus,) iustitia erit magis necessaria, quæ lucri auiditatem comprimat, quod sibi pollicetur ex opere.* At *in uirtutibus non tam refert nosse quid, quaue ratione, quàm qua natura animi af-*

fectus agas, hoc est, quàm non inuitus; qua pietate, quàm praeclaris actionibus assuetus, quàm constanter. Hæc *sunt praecipua: uirtus ferè sola hæc à quouis poscit; in his posita est honesti uis omnis: scire enim, quod unum ars exigit, hic, ut inquit* Aristoteles*; aut momenti nihil habet, aut parum: ut honestæ actiones potissimum hæ sint, quæ à uirtute prodeunt, & ab homine, qui, cum pridem se ad eas exercuerit, non possit, nisi, quæ recta sunt, ac pulchra, & uelle, & optare.* Nam, *qui facit, quod iustum est, itemq; à quo uoluptas aliquando uicta repellitur, non omnino necesse est, ut sit is aut iustus, aut temperans: potest enim accidere, aut etiam plerumq; fit, ut aut rectè nolens agat, aut uolentem ne sequatur assuetudo, quæ si desit, ad contrariam partem, quæ uitij est, facilè delabi potest.* Non *igitur quotiescumq; beneficia alicuius existunt aut in ciuitatem, aut in priuatos, beneficum esse hominem hunc existimare debemus: hoc enim dignus est nomine, qui beneficentiam tantum colit; quæ semper, ni interueniat calamitas, prodest; cum tamen beneficium haud statim necessariò ipsa consequatur.* An, *qui libidine regnandi ad largitiones impelluntur, aut coguntur labores ingentes specie tantum utilitatis uniuersorum suscipere, terra, mariq; bella gerere, caput toties maximis obiectare periculis, hac gloria decorabuntur? non auidi potius erunt imperij? non calamitosi, & perniciosi ciues? non hostes patriæ?* Atq; *hi quidem tantum abest beneficiorum magnitudine tanta, quanta esse possit, erga uniuersam rem.p. benefici ut sint; ut nihil sit ipsis imperium affectantibus uel scelere atrocius, uel, ut aliquando accidit, parto dominatu detrimento calamitosius.* An *timidi non erunt, & meticulosi homunculi, qui iniuriarum metu, & pericu-*

lorum, aliquando audacibus hominibus, & flammam, ferrumq; minitantibus multa largiuntur? Non aut quasi molles quidam, aut inanes popularis auræ captatores, qui, ut ne malè audiant, interdum etiam, ut falsa, cum uera careant, ornentur gloria, eos, qui dicaces sunt, & leues scurræ, magnis plerumq; afficiunt muneribus? Nonnulli quidem ignobiles, & obscuri homines, indo-cti præterea, & rudes (ut illos pætercam, qui uel hoc uno, ut ex alio flagitio nulla accedat infamia, honorem illum, qui uitæ gra-uitatem maximè postulat, dedecorarunt) uiri & procaces, & ex professo audaciores ad perstringendum, se & priuatis, & re-gibus adeò commendarunt; ut hoc illis & nouum, & maximum fuerit aucupium. Quorum dicacitas, & effrenis loquendi licentia & paruifacienda est ab ijs, qui sunt excelso animo, & magno; & morum integritate, rectaq; uiuendi ratione magis compescen-da, quàm illecebris turpem quendam amorem conciliantibus lau-dum præcones leuissimi comparandi. Acutè quidem, & ad leuiter nimis assentantis ignominiam cuidam respondit Carolus huius nominis quintus imperator augustus: qui cum eo audiente procla-mitaret, se ad Cirtham oppidum in Africa munitissimum, quam expeditionem suscepit ille apparatu maiore, quàm fortuna, cla-myde aurea Cæsarem induisse, hoc uidelicet elogio significans, magno apparatu eloquentiæ, & pompa uerborum à se laudibus ornatum, utinam, inquit Cæsar, falsum ne sit istuc aurum; quo me contexisti. Idem, cum esset ad eum in Hispaniam usq; perla-tus liber eo, quem uernaculum uocant, sermone conscriptus, in quo auctor uictoriam de Francisco Gallorum rege ad Ticinum capto illi gratulabatur, cum non uirtuti militum, ac ducum suo-

rum, sed hostium ignauiæ, aut proditioni uideretur id ascribere, fortunamq; regis uehementer accusaret, haud parum hic, inquit, est deceptus, qui librum ad me miserit, quem ad regem destinarat: rex uero scilicet, qui meus erat, habuit: atq; ita homines huiusmodi ab hoc principe contemni solent, ut etiam oderit. Qui, si ab optimo quoq; repellendi, & , quum fieri id potest, amouendi, & ablegandi, quid assentatoribus facias; qui diuersa ratione illud idem tamen assequuntur, quod graues, & importuni scurræ? atq; hoc quidem turpiore, quo talis eorum simulatio procacitate est peior: & quo maiore cum periculo blanda est conciliatrix, & amica uitiorum assentatio, quàm scurrilitas sit atrox ipsorum hostis. Quo igitur loco reponendi sunt, quo'ue digni nomine, qui hoc sono, uoce'ue, quàm sirenum cantus, suauiori, pleriq; facilè, aut etiam magna cum uoluptate capiuntur? non cæci ac turpes sui ipsorum amatores? non, ut Aesopi apologo uidere est, quamplurimi tanquam graculi pauonis ornatus affectatores ridiculi? non, alieno tamen ore, arrogantes? quod unum arrogantiæ genus sanè pestiferum est, & tetrum. Nam, qui proprio ore *suas res inaniter extollit, & iactat, risu plerumq; audientium delusus solus damnum sentit; nec de peccato nisi auctor plectitur: at eius arrogantia, qui clam ipse sui prius admirator, alium palàm præconem constituit, aut falsum patitur, admodum est malorum ferax: id quod maximè efficit natura uitij huius, quæ tecta, & latens facilè incautos, & minus sentientes fallit.* Nam, *præter risum, qui aliquando adulatori (ut alius prætereatur quæstus, quem aucupatur) ex mendacio fructus est haud iniucundus, quod ipsum est excitanti cum turpe, tum etiam probrosum,*

hoc sibilo allectantem ea aqua ad potum sibi comparata miser ipse ingurgitat, unde post sitiens aliquando redit: clauditurq; interdum & affinitati, & amicitiæ, sæpe etiam uirtuti benignitas, quæ solis assentatoribus reseratur: ut interea sileatur, quanto spolietur bono; hoc autem est uirtus, quam aures obstructæ ueritati cogunt inde decedere, ubi mendacio est locus. Latè *autem serpit hoc malum, & quocumq; ferè peruagatur; quia id unum ex omnibus uitijs magis uideatur & natura ipsa prouehente, atq; adiuuante ueniam promereri, & honesti cuiusdam specie ad se unumquemq; pertrahere: nemo enim est, qui sibi sit inimicus: non multi, qui, in se amando quousq; æquum sit progredi, dignoscant: pauciores multò, qui huic amori eum, quem iubet ratio, terminum præscribi uelint; tametsi, quid agendum sit, norunt.* Præterea *ei se obstrictum unuquisq; putat, à quo beneficium accipit: si, qui, aiunt, malè loquitur, est aliquo tamen officio, cum aliter non possis, eius concilianda beniuolentia; quid facias illi, qui benè? Quid? est'ne eius modica laus, qui domino diuiti, ac præpotenti norit in cunctis obsequi, nutus eius omnes obseruare? haud multos inuenias, qui egregiè, & ex animi nostri sententia hoc præstent.* Quum *hæc dicunt, non intelligunt pro uirtute ipsis haberi uitium, pro ueritate mendacium, pro bono malum, falsumq; & turpe beneficium maiore pretio comparari, quàm honestum, & uerum.* A *quo quidem omnes cauere debent: præcipuè uerò ij, qui reliquis & opibus, & ingenio uidentur antecellere: quò enim quisq; ui maiore instructus est ad iuuandum, hòc plus, ubi istuc fit, & alia, quæ turpia sunt, & sibi, & alijs, obesse solet; liberalemq; ac beneficum iure hunc nullus appellabit.* Multò *uerò minus*

id sibi uendicabunt, quos non utilitatis aliorum ratio, non charitatis uis; sed auiditas sola gloriæ; aut de simulata uirtute uoluntatis multorum conciliatio; aut deletio alicuius, quæ pridem inhæserit; maculæ; aut inanis opum ostentatio; aut auaritiæ suspitionis depulsio ad hoc impellit, ut prodesse inuiti, & nolentes uelint. Tumidi, & *inflati sunt, quos non uirtus sua pulchritudine alliciendo ad se trahit; sed populi studium, & uox emissa in præconia grata demulcet.* Fallaces illi, & *fraudulenti, qui uitia ingentia cum alicuius uirtutis, tum, id quod in multis accidit, honesta quadam gratificandi specie tegunt.* Simulatio autem omnis, *cum mala est, (mendacium enim omne uituperabile est) tum pessima uitiorum: uirtutum dissimulatio, quæ græcè* εἰρωνεία *dicitur, ex quo* εἴρων Socrates appellatus, *parum solet reprehendi; præsertim si, quæ dissimulantur, fuerint magna, & præclara: sed, ut dixi, nihil fermè reperire est aut ad culpam deterius, aut turpius ad infamiam, aut ad hominum perniciem grauius, quàm uirtute uitium uelle tegere; bono malum; honesto id, quod turpe est, obuelare.* Nimirum *hoc est fraudulenter naturam uelle peruertere: quod tametsi uitium omne ex se molitur, facilius tamen, & citius uidetur posse hoc efficere; quum uirtutis imago quædam ad laborem adiungitur.* An *non tum præcipuè, tanquam mulier intemperans ex illita facie amatori, fucum naturæ is facit; qui cupiditatis loco rationem prætendit? ueritatem mendacio? dolo fidem? qui crudelitati obtendit pietatem quandam & uultu, & oculis, & oratione depictam? liberalitatem auaritiæ expressam ob inuito aut alicuius metu mali, aut auiditate laudis? libidini continentiam & seueritate in alios, & corporis habitu*

tu sordidato, Antoniosq; interdum, atq; Hilariones *mentientes? cui genus omne nequitiæ, & impietatis inuolutum frontis integumentis obtegitur, & celatur? hoc homine nihil tetrius; nihil abhominabilius; nihil etiam iure despectius, & abiectius; qui sit pudenter improbus, & meticulosè malus.* Ac *reliqua quidem mala, quæ manifesta sunt, & aperta, fortasse leuiora iccirco; quia, ut intus latentes morbi, si retegantur, sæpe & sanantur facilius, & minore sunt cum illorum periculo, qui premuntur, sic hæc & ab eo, in quo insunt, pelli aliquando possunt cura, quæ tum leuius admittitur, adhibita; & à cæteris prouisa deuitari; nec, uelut ea, quæ securos, & minus metuentes insidijs adoriuntur, imprudentes fallunt.* At *pestis hæc intestina tam est aut ad expellendum difficilis, aut apta ad decipiendum; ut etiam & quotidie magis ipsa augeatur; dum sibi nimis de salute pollicetur; & pauci admodum sint, quos ad se simulata quædam ualetudo pellectos miseros non deperdat, & prosternat.* V*squeadeo homines hi execrandi, & pestiferi sunt; ut, cum à* C*hristo genera omnia peccatorum, ac scelerum quàmplurimis, seuerissimisq; increpationibus excludantur, & è mentibus euellantur, malum nullum reperias, quod sit ab eodem tam grauiter, seuereq; notatum: qui ab his præsertim cauendum proclamarit, in quorum animis luporum uoracitatem intus celant ouinæ pelles.* P*arum'ne hac similitudine declaratum, possit'ne horum beneficentia esse ulla, in quibus efferata habendi cupido posita tantum abest ut aut suis contentos uiuere sinat, aut cæteris usui esse, ut etiam alienas sitientes fortunas tantum malorum afferant, quantum fallaci iustitiæ indumento fulta iniustitia?* Q*uòd, si igni comburuntur, qui pecu-*

niam adulterant; quid his facias, qui, quod est maximum bonorum omnium, uirtutem? nullum planè supplicium sceleri par uideri potest. In contrariam uerò partem à multis leuiore fortasse aliorum detrimento delinquitur; qui palàm uitia omnibus facientes sua uidentur uirtuti æternum indixisse bellum. Non curæ existimatio nominis; non honor; non dignitas: conspectum bonorum oderunt; spernunt monita amicorum; necessariorum preces reijciunt: quo genere uitij peccant, in eo ita impudenter, & temere sunt præcipites, ut nihil prorsus pensi habeant. Deterior autem superiorum conditio, quàm horum: quoniam aut irrogatione pœnarum, quas legum decretis subire coguntur, aut calamitatum ictibus sua ipsornm culpa profligati ipsi aliquando, si non omnino, aliqua tamen ex parte resipiscunt: &, cum uulgò improbi sint, cognita, detectaq; improbitate facilè ab eo, qui uelit, malum uitari, ac repelli potest. Secus perdita malitia nihil deterius: nec est iniustior, & turpior, quàm, qui sordibus peccatorum cum uoluptate se ipsum uolutans impudenter in scelere gloriatur. Atq; hi tamen quî poterunt esse benefici; si nec uitium nocere non potest; nec nisi prodesse uirtus? etenim aut malis sæpe, quales ipsi sunt, fauent, & opitulantur; aut perrarò bonis: ad id autem quum propriæ non suppetunt opes, alteri per uim, aut scelus adimunt; ut habeant, quo se liberalitatis nomine commendare possint, quibus bene esse uolunt. Hoc qui facit, uitium cum uitio coniungit, hoc est, prodigalitatem cum iniustitia. istuc autem quî è beneficentia depromi potest: quæ neminem unquam lædens, semper prodest? Quòd, si à quibus aliquando fructus capitur aliquis, licet pessimi homines esse uideantur, excluduntur hi à numero

corum, quos uolumus, quo pacto eos admitti licebit, qui parci sunt? qui auari? qui nihil de suo unquam cuiquam impartientes ut plurimum aliena quęrũt? An cęteris quicquam ab his dabitur, quibus ex his, quę ipsi habent, multa adimit plura possidendi immensa ingluuies? quorum curtę nescio quid semper abest rei? uereq; illud his conuenit, quod de Tantalo poetę ferunt. Aut, si qui tamen inueniuntur, qui nonnunquam largiantur cuipiam aliquid, aut efficiant, quod sit commodum, spem sanè hi tum maiorem tenui emunt pretio; &, ut est in prouerbio, libenter, ut gallinę lucrum fiat, ouum sibi patiuntur auferri. Sunt autem quamplurimi, qui aut hoc ueluti hamo patrimonia, & opes expiscantur, aut tanquam reticulo aucupantur honores. Hoc quidem est beneficium fœnerari, non dare; & signum potius latentis auaritię, quam beneficentię argumentum. Virtus autem fœnus tantum probat, quod alteri sit utile, sibi non indecorum. Quare nec hi; nec, si qui ob eas, quas supra commemorauimus, causas, (aut si quę huiusmodi alię sunt) beneficia ulla in aliquem conferent, in cœtu, ac numero beneficorum collocabuntur. Qui uerò digni habentur hoc nomine, hi sunt, quos, ut diximus, honestatis uis sola compellit; ut, quem potissimum egentem uiderint, dignum prętereа, qui mereatur auxilium, cui faueant, (quanquam de hoc latius suo dicemus loco) eum pro suarum uirium facultate libenter iuuent; idq;, quum faciunt, ne sint alteri detrimento. Hoc sapienter, ut reliqua, Christus instituit: quum in subleuanda alicuius inopia censuit illud esse prouidendum, ne, quid manus moliretur dextera, resciret lęua: un ius enim ostentationis accusatione reliqua, quę rationem honesti excluderent, est complexus. Ac, ne quid prȩter-

mitteret in ea re aperienda,ac declaranda, quæ ad salutem homini maximè necessaria esse uidebatur,honestum hoc quale esset alibi edocuit:idq; melius quidem certè, quam factum sit à Philosophis;qui,quod uerum esset,magis quæsiuerunt, quàm sint eius
» scientiam exploratam consequuti. Quum igitur, inquit, agitis
» aliquid,illud ita palàm facite,ut omnes, qui uiderint,dei præpo-
» tentis,& excelsi extollant gloriam,& decus;perinde,ac si diceret:ne uos,ut boni,& benefici & uideri, & esse uelitis, aliud moueat,atq; deus ipse honesti omnis & auctor & fons. Igitur, ut tales ij sint,quales esse debent,& nos uolumus, ad deum ita omnia referent; ut eius tantum causa, & quia ita faciundum præceperit,uniuersis ferre opem adnitantur.

In hoc autem studium cum est cuiq; collocandum;tum uerò ijs præcipuè,qui præsidentes cæteris, & imperantes & officij iure coguntur ciuium utilitati consulere, & facilius id possunt ea, qua præcellunt,auctoritate præstare. Quorum tametsi non est una ratio,omnibus tamen eadem fermè seruanda est regula promerendi. Illud autem unum omnibus, qui benefici in primis esse student,curandum, & consilio omni, studio,operáq; enitendum est,ut commodis, & saluti omnium prospectum uelint; idq; faciant potissimum erga omnes charitate accensi,& impulsi, quam uirtus hæc ab unoquoq; exigit. muneris autem præscriptio, & æquitatis retinendæ, conseruandæq; procuratio uidetur iustos constituere,non beneficos.Id autem præstantissimum est, ac pulcherrimum: sed illud multò præstantius & pulchrius, atq; cum magis secundum naturam, tum uerò immortali deo gratius,quo bonitate conditori propiores efficimur. Quod planè ipsi præsta-

bunt; si ad eam, quam diximus, beniuolentiam in omnes iustitiam comitem acciuerint; atq; cum altera sic alteram coniunxerint; ut, ad id, quod, amor ut faciant, eos impulerit, & inflammarit, statim adhibeant in consilium iustitiam; quæ illud doceat, qua sit ratione tractandum: quæ tanquam gubernator naui assidens cursus lubricos, & incertos regat, quando fides seruanda sit, ostendat; quo pacto suum unicuiq; tribuere oporteat, & alieni minus appetentes fortunis suis contentos degere: quæ quidem omnia sunt unius iustitiæ. Virtus autem altera non tantum ab his requirit, ut ne & aliena petant ipsi, & alios facere idem cogant; sed ad cumulatiorem laudem beneficij cæteris multa de suo impertiri, pauca sibi relinquere, & ad omnia erga eos officia paratiores esse iubet. In quo ipsis sanè magis elaborandum est, quàm priuatis, & aliorum iussa ferentibus: quia & exemplo his laudis cupiditas incitatur; &, ut paulò antè dixi, gratificandi facultatem maiorem rem. p. administrantibus affert imperium; à quibus potius, quàm à priuatis beneficia in omnes, & in necessitudine coniunctos tanquam debita reposcuntur. Verum in his ciuitatibus, & locis, in quibus æquo iure omnium, aut optimatum degitur, quibus res. p. committetur, tametsi possunt à plerisq; inire gratiam officijs, ij tamen erunt in promerendi ratione cautiores, quàm, ad quorum nutum omnia geruntur: ne paulò liberior in dando beneficio licentia suspitionem afferat aut petendi regij dominatus; aut ea potestate abutendi ad quæstum, quam res. p. ad dignitatem permiserit. Alterum & impium est, quum uidelicet uis affertur patriæ; & sæpe periculosum, honestam mortem turpi seruituti fortibus, ac liberis hominibus anteferentibus: quod

& in Grachis perspectum est summis, atq; egregijs uiris; quorum nefarios conatus libera ciuitas libertatem impugnantium cæde repressit; & in Caio Cæsare; quem non summum rerum omnium imperium, non arma, non florentes copiæ, non familiarium necessitudines, non stipationes amicorum, non merita, eáq; ingentia in multos ab interitu acerbo, ac miserabili uindicare potuerunt: altero nec turpius quicquam, nec indignius, nec multorum utilitati repugnantius: ut is rectè omnino, qui capessentibus rem.p. nihil minus, quàm philosophis, aut etiam magis despicientiam rerum humanarum adhibendam esse præceperit. Priuatæ quidem sordes ferri magis possunt; quia minus alteri noceant; &, si cognitæ sint, eum, qui fugiat, minus inficiunt: at, cum ædium priuatarum limen egressæ in publicum prodierint, dici uix potest, quàm multos aut malo exemplo contaminent, aut damno afficiant, rem.p. quæstui habentes: difficilè enim admodum est & uitare malum, quod fert magistratus; quia id tolerabile uideatur efficere auctoritas; & non eius approbare sententiam; si aut spes alicuius inuitet boni, aut deterreat damni metus. Quamobrem, ut & uitæ periculum ne sit adeundum, & fraudis, atq; auaritiæ uitetur infamia, ijs adhibenda est magna diligentia in collatione beneficiorum. Hanc autem totam ex utilitate rei.p. ducere oportebit, aut ex dignitate: nihil enim excepto ueræ, ac sacrosanctæ religionis patrocinio patria cuiquam charius esse debet; pro qua, si postulet necessitas, non est recusanda mors. Quantò autem magis in eius & dignitatis, & salutis studium his incumbendum est, quorum se fidei, ac tutele commisit? quos propugnatores, non hostes; parentes, non dominos; custodes; non

tyrannos constituit? Ad hanc, ueluti sagittarijs ad scopum, cunctis ducibus actiones omnes, & labores ita referendi; ut non modo ciues egregios agnoscere; sed de ueris etiam uirtutis cultoribus gloriari possit: quibus aut nullum pro re bene gesta aliud expetitur præmium, atq; fructus ipse pietatis; aut pœna non reformidatur ob peccatum. Quanquam æquum esse uidetur, ut metus alicuius ex scelere in rem. p. mali solet multos homines deterrere, sic ex re bene gerenda aliquid præmij à suis ciuibus sperare his licere: ut enim, præter ignominiam, delictis ad terrorem pœna statuitur, sic rectæ factis, præter laudem, quæ uirtutis propria est, ad incitanda studia debetur, quod sit aut utile, aut honorificum laboranti. Vtrumq; autem in ciuitatibus fieri solet, quarum libertas legibus optimis, & institutis nixa est, & firmata. Qualem uidemus Venetiarum Vrbem florentissimam totius Italiæ, eiusq; hac tempestate unicum, ac firmum contra impetus, atq; incursiones efferatarum gentium propugnaculum; quæ non loci natura magis, quàm consilio, & prudentia usq; in mille annos, aut etiam amplius libertatem propagauit. Etenim totius ciuitatis disciplina adeò prudens, adeò moderata, & casta est, ut, qui dignitate superior, uitæ continentia par infimis esse uideatur; nec aut ullo pacto regni affectandi suspitioni possit illic esse locus, aut difficulter in administratione imperij auaritiæ, ubi & tantopere consensu omnium extollitur & frugalitatis, atq; continentiæ ratio, & amor libertatis; & aut præclaris factis certa merces, ac ampla tribuitur; aut delinquentem plerumq; pœna sequitur; macula uerò semper inhærens infamiæ nullo unquam tempore potest aboleri: ut non tam eleganter, quàm uerè Ioan-

nes Casa uir nostri temporis clarus horatianis laudibus, quum hanc rem.p. extollit, sic canat

Illò se nusquam propendens contulit æquum
Bonæ comes concordiæ,
Fraudibus Hesperiæ ut pulsum est, timuitq; rapacis
Vncas licentiæ manus.

Ac, si talium uirorum exempla ulla, aut uerius adumbrata uestigia alicubi sint quærenda, locus hic horum copiam certè aliquam suppeditare poterit. Quos tamen sola cupido laudum ad rem.p. iuuandam non debet inflammare; sed amor, sed studium, ut, cui plurimum debeant, ei gratificari uelint, quantum queant. His igitur cogitatio omnis, industria, curaq; primum in eo defigenda, & locanda est, ut & in ciuitate retineantur ea, quæ ad cultum dei instituta tradidere maiores; &, quæ optima sint, humana iura sanciantur: nouæ condantur leges: ueteres, si necesse sit, pro natura temporum aut corrigantur; aut antiquentur, & abrogentur. Vt enim ordine quodam, & moderatione naturæ cernimus hanc rerum uniuersitatem adstringi, atq; ita regi, ut, si fiat ulla aut commutatio, aut peruersio, omnia corruere necesse sit, atq; interire, sic ad imitationem naturæ, & dei, qui hæc ordinauit, composuit, & sanxit, hominibus lege ciuitates omnes, & regna continentur, hoc est ratione ipsa; quæ nihil aliud est, atq; animi recta, & constans moderatio: quæ nisi adhibeatur, nec societatis humanæ initium ullum potest existere, nec inchoata, instituta q; conseruari: ut nihil omnino appareat esse ad salutem hominum æquè necessarium, atq; legem, eamq; & bonam, & salutarem: cuius qui auctores sunt, ijs non parua de accepto benefi-

cio habenda est gratia. Id uerò multò erit & cumulatius, & maius, si quas leges tulerint, & sciuerint, eis utiq; legibus ipsi se prius addicentes, & mancipantes reliquos pro auctoritate iusserint, & coegerint uel inuitos aut præmiorum spe, aut terrore pœnarum obtemperare: beneficij enim maximi gratiam extinguit, qui alterum negligit; ac, si nulla, aut paulò remissius ineatar ratio eius seruandi, quod latum est, & sancitum, perinde erit, ac si posita nulla lex esset: eadem sequetur rerum confusio; idem dissoluetur nodus. Non, *quia, inquit* Aristoteles, *sapienter* „ *latæ sint leges, propterea recta est legum constitutio; nisi etiam* „ *ijsdem pareatur.* Quare *legum una est & recta, & prudens* „ *sanctio; si, quæ sunt instituta, seruentur.* E*st igitur omnium ma-* „ *ximum, & in primis ad rem. p. accedentibus prouidendum, ut iura omnia decretaq; ciuitatis inuiolata sint, quæ ei utilia & salutaria esse cognouerint; retineatur inter omnes æquitas; impunè cuiquam ne liceat legum præcepta contemnere, & transgredi; aut eliminent, proculq; ablegent parere recusantes. Istuc autem consequi erit ipsis facillimum, si secum recognouerint, quam personam sustineant; nec legum dominos à re. p., sed aut quasi parentes quosdam, aut defensores esse constitutos: præterea si antè frenum suis cupiditatibus iniecerint: est enim parui negocij alios continere, qui se ipsum continere norit. Sequitur autem iuris ciuilis descripti cognitio, atq; interpretatio; cuius scientiæ his temporibus splendor est maximus: in hoc munere præclarè faciunt, qui plus aliorum utilitati consulunt, quàm suæ. Id autem ea præsertim ratione assequuntur; si eiusdem iuris difficultatem, & obscuritatem, quam fert rerum uarietas, & commutatio, stu-*

deant tollere: etenim haud contemnendo beneficio obstringunt hi & rem. p. & priuatos; quorum sedatio controuersiarum, quæ existunt quotidie, haud mediocrem toti ciuitati & tranquillitatem affert, & utilitatem auget. Verum cum omnibus cauendum est, tum uerò ijs præsertim, ad quos de controuersijs dijudicare pertinet; ne, dum aut, quæ dubia sunt, & tecta declarare, ac patefacere, aut inuoluta, & implicata dissoluere, atq; explicare contendunt, in isto interpretandi studio nimis uelint esse diligentes, & curiosi: abutuntur enim potius, qui sic agunt, quàm utuntur munere, faciuntq; propè næ intelligendo, ut nihil intelligant. Leuior quidem iactura, quæ fit ex huiusmodi potius contentione, quàm inquisitione ueritatis, in his artibus, quarum ignoratio, cuius desidia causa non sit, nec turpis est cuiuis ignaro, nec cæteris semper damnosa; in legum autem, & iuris, quo ciuium continetur incolumitas, studio grauissima. Ac uereor interdum, ne non magis cognitionis amor, aut ueri inueniendi cura, quàm, quæ minus honestæ causæ uideantur, hominum adeò excitet ingenia; ut habeant sæpe aut falsa pro ueris, aut pro certis incerta: tantam interpretum inter se de re uel minima dimicationem nimirum ubiq; locorum quamplurimi sentiunt & grauem, & sibi permolestam; & cum periculo fortunarum suarum experiuntur: ut illam hominum potius uitio, quam studio scientiæ fieri appareat. Alios enim necessitudinis, & propinquitatis ratio, alios amicitiæ, plerosq; auaritia, & rei augendæ cupiditas digladiari adeò, &, ut aiunt, nodum in scirpo quærere compellit; ut, dum lis in longum protrahitur emergentibus in dies cauillationibus, dum æterno propè bello confligitur, dum modus nullus statuitur aua-

ritiæ, uerius dissidiorum, ac dissensionum, quàm auctores concordiæ; cupidiores belli, quàm pacis; hirudines priuati cuiusq; ærarij, quàm clientum patroni esse uideantur: nec ferè quisquam inueniatur, quem inde proueniens non affligat calamitas: nonnulli sibi aditum hinc ad amplissimos honores aperuerunt: quos sequuti quàmplurimi, eandemq; insistentes uiam & multis mala afferunt ingentia, & alios ipsi exemplo pessimo pòst se trahunt. Hæc autem callida nimis, & malitiosa iuris interpretatio ut è ciuitate omnino, si fieri possit, tollatur, principibus omnia sunt adhibenda remedia; labor omnis impendendus: danda opera, ut, quemadmodum sepia effuso atramento aquam enitescentem obturbat, & fusco colore inficit, ne piscator elabi conantem possit deprehendere, sic interpretibus ne liceat legibus, quæ ad salutem, non ad perniciem hominum sunt inuentæ, & dilucidius, quàm fieri potuerit, conscriptæ, tenebras offundere, sensa peruertere, extorquere, ad libidinem suam potius conuertere, quàm ad ueritatem explicare. Præcipuè autem ij, quibus iudicia permittuntur, deligendi ex omni iurisperitorum numero, quorum præcellenti doctrinæ par sit uitæ integritas, ac morum. Ac, quoniam facilius omnes ad uitium delabimur in potestate præsertim, & peccandi licentia, ijs sunt legibus astringendi, ac deuinciendi; ut tanquam freno coercita libidine nihil, nisi, quod iustum, æquumq; sit, uelle ipsi possint; id quod, & aliquando fieri solere uideo, & sapienter institutum probo. Sed nihil est ad cultum iustitiæ firmius, quàm, si ipsi non sint, alios iudices constituere, quorum sit probata, spectataq; uirtus, & ueræ pietatis amor. Quæ quum desunt, haud facilè contineas illos, quibus impune, ut peccare medicis in uitam

hominis, alienas aliqua adumbrata ueritatis imagine liceat surripere fortunas ~~est~~. *Est autem illud, quod* Plato *præcipit, maxime his seruandum; ne rei. p. partem curent; totam negligant: sed ita gubernacula teneant; ut non magis ad dexteram, quàm ad leuam flectant.* Secus *si fiat, necesse est, ut nauiganti inter Scyllam, &* Carybdim *deorsum nauem ferri præcipitem, sic ciuitatum moderatoribus parti ciuium fauentibus, reliquos autem negligentibus, aut etiam, ut aliquando accidit, impugnantibus, discordias in re. p. seditionesq́; perniciosissimas excitari.* Etenim *ciuibus in libertate degentibus si, qui regunt, uolunt nimis esse populares, odia incurrunt optimatum grauissima; si iura optimatum sic tuentur, ut populi deserant, plebem sibi aduersantem habent; ex quo oriuntur in ciuitate discordiæ graues; interdum etiam ciuilia bella concitantur.* Exemplum *est recens, ac lugubre anno superiore* Sena *in* Ethruria *uetustissima, nobilissimaq́; urbs; cui ob ciuiles discordias, quibus diu agitata est, hoc longo, ac pestifero bello magnæ acceptæ clades libertatem omnem ademerunt.* Quæ *quidem omnia fugient hi, qui se beneficos præstare uolent: æquè enim simul uniuersam rem. p. tuebuntur; nec sic alteri parti adhærebunt, ut alteram negligant, aut etiam lædant.* Nec *potentiam, opes'ue consectabuntur: alterum enim est iniusti hominis, & æquitatis hostis: alterum libertati reliquorum insidiantis.* Est *autem iustitia propugnaculum societatis humanæ; quam ut defendant, cum omnes, tum hi præcipuè, qui sunt rerum domini, ultro debent ipsi inimicitias suscipere, lacessere improbos, mortem deniq; citius oppetere, quàm ab honesto discedere.* Illud *autem potissimum caueant, ne in animaduersione, atq; ali-*

cuius castigatione delicti in alios duriores sint, mitiores uerò in alios; aut hos plectant, illos impunè dimittant: delinquentibus enim parcere maleficium potius est, quàm beneficium: hoc qui faciunt, aut æqualitatem uidentur negligere, cuius in libera præsertim ciuitate habenda est ratio; aut, in quo pleriq; labuntur, turpè lucrum sequi. Nec in castigando ira ulla moueat, qui legum similes esse debent: parit enim ira contumeliam, quæ in magistratu admodum est turpis. Atq; hæc, aut siqua huius generis sunt, quæ ciuibus uniuersis prosint, ab his, ad quos pertinet in primis, omnino procuranda sunt. Et, quoniam beneficentiæ natura exigit, ut non, sicut in pictura, & alijs artibus, eos pictores esse dicimus, quorum aliqua extent artis suæ opera, licet alia nolint ipsi conficere, sic ij benefici sint, qui beneficia aliqua apud quempiam ponunt, cum tamen plura dare queant; sed occasionem nullam, aut facultatem iuuandi, quotiescumq; illa sese offert, prætermittendam censet; nec unquam otiosos esse patitur, aut rectè factis modum præscribit, ubi legibus rem.p. fundauerint; has seruari, & coli coegerint; litium coercuerint calumniam, hic tanquam confecto spacio, aut expleto munere uidendum utiq; est, ne sistant; ne'ue putent, cum detur facultas alia tribuendi, à se satis esse hisce laboribus aut patriæ, aut suo honori factum: cogitent, expendant quid pietas, quid uirtus postulet; nec unquam à promerendi labore conquiescant. Honores dantur à re.p., deferuntur imperia, magistratus creantur; si perpetui; studio maiori, & cura in delectu est opus: diuturna enim potestas, & auctoritas in ciues aut regnum constituit; aut, si retinetur libertas, difficilè admodum est hominem, qui non sit consumatæ uirtutis, non & ea ad arbi-

trium aliquando uti, quam quasi testamento sibi legatam obtinet, & calamitatem uniuersis importare: si annui, aut his alia quædam temporum spacia præscripta sunt, minus fortasse ab his metuendum est, quos aut ad præclara facta incendit aliorum æmulatio, qui omnium, aut bonorum testimonio commendati sequentibus non parua adhibent ad laudem calcaria; aut metus dedecoris, alicuius'ue mali retrahit à delicto; aut breuitas temporis non sinit ea moliri, ad quæ fortassis saniora consilia reijciens trahit præcipites malesuada cupido. Exempla nulla proferam; *tantum dicam honorum perpetuitatem, & diuturnitatem temporis in imperio tantam cladem his temporibus uniuerso terrarum orbi attulisse, quantam omnes uidimus, & consternati res propè deperditas lugemus, & insequens nimirum lugebit ætas.* Vtrumq; *(ut interim, qui priuati adhuc sunt, id his præceptum detur) ciuium utilitatis ratio moderabitur: neq; cum eorum periculo antè quæretur honos: neq; recusabitur, qui sit his omnino profuturus.* Quare, *si quorum in fidem se ipsos illi perpetuò tradiderint, aut si tempus honori definitum fuerit, illud ijs maximè cogitandum est, quo pacto possint onus sustinere, quod eorum humeris res.p. imposuit; quodq; minus antè reformidantes ipsi susceperunt.* Non *esse facilè, inquies, ut se ipsum quis norit; multo minus, ut ignauum ducat; uix uero, aut nunquam, ut contemnat, & negligat: concedo; nec id tantum; sed etiam illud addo, magis uideri è natura esse, ut sibi quiuis blandiens plus, quàm par sit, tribuat; ut se strenuum putet; ut plurimi faciat: allicit præterea, aut etiam ferè unumquemq; pertrahit dignitas imperij, quàm solam uirtutis præmium pleriq; falsò existimant; putantq; omnium esse*

amplissimum cunctis antecellere. Sed tamen fieri potest, si dux aduocetur, atq; adhibeatur in consilium ratio, si non bonorum falsa imagine deludi se patiantur, si ne, ut reliquum uulgus, ducat consuetudo deprauata, ut quasi subducta suimet ratione, quantum possint, quales sint, quàm prudentes, quàm fortes, quàm iusti, quàm his instructi artibus, quæ principe laudem ex beneficentia quærente dignæ uideantur, secum omnino recognoscant: quarum cum expertes sint, si se impares retinendis gubernaculis intellexerint, haudquaquam eis aut uerenda est fama ulla ignauiæ, aut, ne sui contemptores dicantur, metuendum; qui laudem maximam ex eo, quod est potissimum rationis opus, consequuturi sint. Igitur, si uiribus suis maiorem se prouinciam suscepisse uiderint, ultro eam deponant: & patiantur, aut, si benefici esse uolunt, ipsi studeant ad eos regimen transferri, qui tum scientia rerum gerendarum, tum ratione, & consilio, tum etiam, quibus omnino ad perferendos labores est opus, uiribus, bonaq; ualetudine corporis, & interdum opibus delatum sibi munus quantumuis amplum, & arduum tueri possunt: ne sint, cui prodesse uelint, ciuitati detrimento; ne'ue, qui benefici esse debent, aliqua ipsorum culpa minus utiles, & infructuosi duces inueniantur. Exempla his non deerunt ad eam rem, ex qua & charitas in omnes, & animi magnitudo declaratur: est enim multò difficilius, & præclarius bonorem susceptum deponere, quàm oblatum recusare. Quintus Minutius contra Annibalem Romani exercitus dux cum reuersus esset ad Q. Fabij Maximi dictatoris graue, moderatumq; imperium ex confessione erroris, apud omnes laudem haud mediocrem promeruit. Celestino. V. Pontifici Maximo facilè per-

ſuaderi potuit, ut ſe pontificatu abdicaret; quòd poſterioris uitæ diſſimilis ratio prioris (in ſolitudine enim ſemper ille uixerat) uix poterat omnium expectationi reſpondere in tot, tantarumq; rerum adminiſtratione; cuius rationem illam, quam inſtituerat, minus probari ſentiebat. Quare dedit ille beneficium, quod ex alterius delectu à ſe tribui plerisq; arbitrabatur; qui ſemper potiora quidem probant, ſequi uero deteriora ſolent. Quinetiam ſi honori par ſit alicuius & ingenium, & induſtria; floreat item opibus, quibus egere interdum uidetur auctoritas imperij, aut muneris, aliquando autem acciderit, ut hoc quaſi regno apud multos ita flagret inuidia, ut malum aliquod magnum præſertim ciuitati futurum proſpexerit, huic tum cedendum eſt inuidiæ, atq; ad priuatam fortunam remigrandum; ne, ſi paulò pertinacior ſit in retentione muneris, in ſuſceptione beneficium magis priuatum,
" *quàm ciuitatis ſequutus eſſe uideatur. Si propter me, inquit*
" *Gregorius Nazanzenus, orta eſt tempeſtas, tollite me, & pro ij-*
" *cite in mare, ut uos iactari deſinatis: iam enim tanti uiri uirtuti à quibuſdam Conſtantinopoli ſeditionem molientibus cœptum erat inuideri. Improbandi autem ſunt illi, quos aut alicuius offenſionis timor, aut laborum graues, (tolerabiles tamen) ſarcinæ aliquando à muneribus rei. p., quæ iam obire cœperint, reuocant: alterum enim eſt cuiuſdam hominis aut meticuloſi, aut præ ſe ferentis inertiam, nihilq;, quod ſit inſigne, ac præclarum cogitantis; alterum mollis, ac delicati, & amantis otij, atq; uoluptatum, aut ſuarum rerum cupidi magis, quàm patriam, aut commune bonum reſpicientis: ut deſerere, quos ſemel in tutelam receperis, ob eas, quas dixi, cauſas, cum turpiſſimum ſit, tum etiam iniquiſſimum:*

ſimum: quæ qui non metuit, indignus eſt maximè, quem hominem appellemus. Populi quidem romani cito corruiſſent opes, niſi Fabius idem fuiſſet ea magnitudine, grauitateq́; animi, atq; patientia, quæ & inuidiam, & labores omnes ſuperare potuit. Quæ quidem uirtutes ſunt his, quos nunc ad beneficentiam in re. p. moderanda inſtituimus, in primis neceſſariæ: non enim leuiter iraſcitur, qui grauis, & patiens eſſe didicerit; ſed cum facilitate, atq; clementia grauitatem ſic coniungit, ut nec iracundum, aut inſolentem oderint, qui alloquuntur; nec, ſi moderator ſit; contemnant ſeuerum; ſine quo munus ſuum egregiè tueri non poteſt. Quare, ut ad illud reuertamur, in quo ducem habemus Fabium, non debent hi cæteris gubernacula relinquere metu ſuorum incommodorum, aut moleſtiarum mole; ſi plus ipſi ſua induſtria ſe ciuitati profuturos ſenſerint, quàm ſtudia reliquorum, qui ſint illa ſuſcepturi. Quòd uerò negotijs publicis ſe ſe, ut nonnulli olim factitarunt, abdicanti omnino ſit ad æternam felicitatem curſus tutior, ſiquis cogitet, tantum abeſt, rectè ut is ſentiat, ut uel erret maximè; cum, quos aliqua ratione à ſe iuuari poſſe intellexerit, eos deſerere uelle uideatur: nihil enim deo æquè gratum eſt, atq; multis, aut etiam, ſi fieri poteſt, omnibus præſtare ſe beneficum, & ſalutarem. Id facilè duces aliorum aſſequi poſſunt, quibus multis modis iuuandi cæteros facultas adeſt ampliſſima: hac, dum licet, piè, ſanctéq́; utantur: ſin ad exercendum impedimenta obſtent, quæ nequeant ipſi reijcere, ad alteram rationem tum confugiant; ita fiet, ut, quod probant, otium illud cum honeſtum, tum ad id conſequendum, quod quiuis debet & optare, & ſequi, aptiſſimum, atq; utiliſſimum eſſe queat. In horum autem ratione

honorum,qui ad tempus à re.p. deferuntur, ita se gerent, ut, cum ei officia omnia præstiterint, cum, quæ debentur, persolue-rint, cum ijs perfuncti fuerint, reliquis ad eos aditum patefactum uelint; æquo animo patiantur ijs parere, quos antè sibi obtempe-rantes habuerunt. Nec *ulla, quæ priuata sit, quantumuis insignis iniuria, aut odium debet homines ita commouere, ut recusent, etiam si facere secus possint, æquo iure uiuere cum cæteris; & malint priuatas inimicitias persequi, quàm suam rei. p. dignita-tem conseruare: hoc enim est nolle sibi eam imperare, à qua ipse ea conditione accepit imperium, ut redderet, & obstinati animi in patriam potius argumentum, quàm lenis, & æquitatem ada-mantis. Qua in re quis non grauissimè accuset C. Cæsarem? qui, si repetentibus, quæ dederant, ciuibus obtemperasset, nec aut libido imperandi, aut quorundam in se odia acerbissima plus ua-luissent, quàm salus patriæ, & liberi populi iura postulabant, non essent in re.p. romana ea conflata incendia, quibus & tan-tum imperium deflagrauit, & ex omnium, quæ unquam fuerint, florentissima ciuitate libertas omnis est sublata. Planè ciuitati omnes condonandæ sunt iniuriæ, ubi de eius agitur commodis. Itaq; non tantum summa uoluntate cedent; sed & eis, quibuscum aut simultates gerunt, aut palàm ita oderunt; ut etiam sint ini-mici, ipsi adnitentur, ut dentur imperia; si horum uirtuti sua de-beri præmia cognouerint, & optimis consilijs publicæ utilitati profuturos: summum enim, ut dici solet, beneficium clauo trabali figit, qui homini benefico summam comparat benemerendi facul-tatem. Quantò autem magis sunt ad omnes honorum gradus prouehendi, quibus præter uirtutem, iure etiam aut amicitiæ, aut*

propinquitatis sunt haud mediocriter obligati. In quo tamen illud est cauendum, ne plus interdum ualeat eorum, quæ diximus, ratio, quàm res.p.; ne'ue, dum uideri suis benefici uolunt, reprehensionem incurrant alicuius maleficij: à quibus iure pœnæ omnes malorum, quæ aliorum aliquando patrarit improbitas, tanquam auctoribus ipsis reposcuntur: in hoc enim si paulò plus de orbita declinarint, dici uix potest, quam fœdi, miserabilesq; casus rem.p. præcipitent, atq; prosternant. In alterum quinquennium Cæsari prorogatum imperium non annuente modo, sed etiam adnitente Pompeio *eius adeò auxit uires, ut tela demum in eum populum conuerterit, qui contra hostes romani nominis imperatorem armauerat: regem uidelicet in urbe potuit efficere utriusq; amicitia per affinitatem illam constituta; quam, qui tum multa prospiciebant, hi timere se dixerunt.* Honesta *autem tunc est ratio, quum propinqui, & amici extolluntur, quorum uirtus, & industria rei.p. sit aliquod emolumentum allatura.* Quinetiam, *si possint retinere, curandum est, ne sibi prorogetur potestas, si alios in ciuitate uiderint, in quorum patrocinio summum ei præsidium fore iudicarint; ne diuturnioris ad honorem temporis cupiditas suspitionem afferat animi, quàm ciues liberos deceat, maiora concupiscentis: nisi forte prorogationem istam imperij tanquam parentibus, ac præclaris eorum gestis uelit esse præmium ipsa res.p.; aut exigat temporum necessitas, ac natura tanquam aliquod salubre, opportunumq; remedium.* Quòd, *si etiam aliquando acciderit, ut ea ita affecta sit, ut reijciat, quæ salutaria sunt, in id unum incumbent, ut (quod, si fiat, nefas est) ne deserant; utq;, uel si ipsa nolit, aut periclitantem iuuent, aut erigant iacen-*

tem,ac proſtratam: nec laudem ex pietate relaturi, reprehenſionem ullam ex ambitione uerebuntur: nulla quidem uis afferenda eſt patriæ; eniti tamen hi debent aut honeſtè ambiendo, aut deprecando, ut à ſe illa retineatur auctoritas, quæ ſint ei omnino profuturi: cauſa autem ſiqua alia ſubſit, minus utiq; illa honeſta eſt, & ijs indigna maximè: qui ad magnam facultatem promerendi ſtudium quoq; animi attulerunt. Neq; *diſcrimine ullo uitæ, famæ'ue, in quod uocentur, ita moueri debent, ut eam afflictam aut deſerant, aut negligant, ſiue de periculis hæc taceat: ſiue duces admoneat, qui aliquando honori ſuo tantum conſultum uolunt.* Quanquam *rei.p. dignitatem, commodaq; ſuis utilitatibus, aut exiſtimationi anteferre omnium eſt ampliſſimum ad gloriam: nec poteſt periculum ullum honoris facere, cui publica laus, dignitasq; propria exiſtimatione fuerit charior.* Planèq; *Ciceronem in hoc refellere poſſumus: qui* Callicratidis, & Cleombroti *ducum* Lacædemoniorum *exemplo iubet nos promptiores eſſe ad noſtra pericula, quàm ad communia: etenim & oratione, & factis ſaluti ſuæ communem toties ſe prætuliſſe gloriatur; & eo ipſo in loco, ubi hæc loquitur, tum anteponit* Q. Fabium *græcis imperatoribus; quem nec illa, qua tum apud omnes flagrabat, inuidia, nec adæquati imperij cum collega offenſio à recto conſilio de ſalute publica dimouerit; tum, qui, quod optimum ſit, non audent dicere inuidiæ metu, ad extremum reprehendit.* Neq; *uero in his tantum, quæ diximus, magnorum auctores beneficiorum aut uniuerſis, aut ſeorſum quibuſdam eſſe poterunt, ſed in reliquorum etiam diſpenſatione bonorum, quæ, qui ſunt animo paulò excelſiore, non æquè æſtimant, atq; hi, qui cogitationes omnes,*

curasq; suas penitus humi defixerunt: ea autem sunt diuitiæ, patrimonia, bona. Si igitur ad publicum munus secum priuatas opes tulerint, hoc est, si fuerint opulenti, ac diuites, ijsq; bonis ita efflorescant, ut horum auxilio non sibi tantum, sed alijs etiam præsidio esse possint, his elaborandum est, si unquam aliàs, at tum maximè horum explendescat usus: quòd exemplo publico excitantur studia priuatorum; ut ea ipsi approbent, quæ principes sequi cognouerunt. Itaq; his primum illud præceptum sit, ut, si rem. p. suis se opibus sustentare non posse intellexerint, quæ sit aut ciuilibus discordijs, seditionibusq; exagitata, aut hostili concussa, & uexata bello, suas ipsi potissimum conferant eius ad salutem, cuius patrocinium antè susceperunt: nec, quod pleriq; faciunt, ignari omnino officij pulcherrimi, putent, si consilio & opera tantum iuuerint (quæ tamen persæpe maximi sunt ponderis) se id, quod ei debuerant, cumulatè persoluisse: hoc nunquam assequentur, nisi, quæ ferè omnes habent chariora, illi tribuant, à qua uel sanguinis ipsius, uitæq; profusio exigitur: ut intelligamus multò minus cætera æstimari oportere; ne dicam ab his aut quicquam mutuandum, aut beneficium esse fœnerandum. Quod si, ut Cato præclarè solitus est dicere, nihil aliud est, atq; hominem occidere, quid huic facias, à quo quæstu turpissimo redimi salus cogitur à patria? nisi forte res. p. ita sit instituta, ut eius intersit, hoc fœnore ciues locupletari: id tum honestum aut minus turpe facit communis utilitatis ratio. Quod Venetijs fit maximè, ubi hoc genere quæstus & res cuiusq; priuata exiguo tamen fœnore augetur, cuius studium, & amor uix tolli potest; & publica, quum postulat necessitas, defenditur, aut etiam occasione sese

ostentante fit ornatior, & amplior. Neq; publicum æs ullum apud alios, atq; ciues ipsos, esse potest: neq; aliunde, quum hoc fit, necesse est maiore cum periculo, & iactura pecuniam quærere; quæ in priuato cuiusq; ærario perinde, atq; in publico conseruata ciuitati tum propè redditur à suis, unde prius illa est coacta: secus uerò qui beneficus esse potest, quem non pietas, sed auaritia ad beneficij collationem trudit? Multò tamen est cum laudabilius, tum uerò eo ciue dignius, qui, quo esse debet, animo erga rem. p. sit affectus, beneficium collocare non ad quæstum, sed ad salutem; non ad priuatam utilitatem, sed ad communem; non proprium æs dare, ut accipias alienum, sed istuc imminuere, ut publicum tuearis, aut, si fieri possit, etiam augeas; præsertim ubi maiorem iure delati imperij ciuitas gratiam ab his exegerit, quos maximè in uniuersos oportet esse liberales; ne, si lucrum pariat beneficium, eam quæstui habere uideantur. Q. Fabius (*ut eodem sæpe utamur exemplo*) *cum in bello esset aduersus Pœnos, filium* Romam *misit, qui priuatum agrum utilitatis publicæ causa uenderet; simul ut se apud suos ciues ab eius amicitiæ, quam hostis cum duce simulabat, suspitione liberaret: hac pecunia, è romanis qui captiui essent, redemit; quo in bello horum opera uti posset; suisq; opibus, quod potuit, auxilium populo romano tulit.* Atq; *& in re. p. & in priuatis magis adiuuandis ea adhibenda est moderatio, ut nequis suspicari possit, aliud hos uelle, aliud cupere, atq; solum ex beneficentia, & pietate fructum: quod procuIdubio assequentur, si tantum aut ad necessitatem opes contulerint, aut ad ornatum.* Rei *autem utriusq; tempora prudentibus, peritisq; gubernatoribus re nosse, ac dijudicare facilius est, quàm*

uerbis præcipientibus nobis explicare. Quòd si, quùm urget necessitas, sibi ciuitas quasi mancipatas, & consecratas habet priuatas cuiusq; fortunas, quibus tum parcere turpe est; quantò his turpius erit, quibus prouentuum cura, & procuratio committetur, pecuniam publicam, & bona ciuitatis in proprios usus conuertere, & transferre? coniungent enim, qui se hoc obstringent scelere, cum impietate auaritiam: nec eo quicquam est iniustius, qui & potestate abutatur ad furtum, & libidine ad commune damnum: palàm autem dilapidare, & consumere extremæ improbitatis est, atq; impudentiæ; ita dispensare, ut fructus perexiguus redundet hinc ad rem.p., imprudentis, ac ignari magistratus. Quare omnem auaritiam, ac fraudem tollere hos oportebit, meminisséq; se non esse rerum priuatarum dominos, sed patronos publicarum; non possessores ærarij, sed custodes; bona hæc non sibi à prætore addicta, atq; mancipata, sed à re.p. eorum fidei tradita, & commendata. Ex quibus dabunt omnino operam, ut, quammaxima trahi possunt, comparent & subsidia belli, & pacis ornamenta; nec sinent aut externis opibus indigere, quæ se suis interdum, si moderatores uelint, tueri potest, aut nullis ad famam, propagationemq; nominis decorari monimentis. In primis uerò, si nec periculum imminebit, nec retro auertet accepta calamitas, curandum est, ut, quæ ad immortalis dei religionem pertinent, sint ampla, sint magna, sint sumptuosa. Sacra splendidè peragantur: celebrentur insigni, ac magnifico apparatu solennes, ac festi dies: templa, atq; ædes non ad usum tantum, ac breue tempus, sed ad magnificentiam, & multorum sæculorum memoriam construantur: nec quicquam prætermittatur uel in ce-

rimonijs instituendis, uel in dedicandis basilicis, quo & pietatis studium in cunctis incitari possit, & rerum diuinarum amor adaugeri: omnium enim illud maximum est beneficium, à quo tanquam fonte reliqua dimanare cernuntur. Nec ullo uinculo firmius res uinciuntur humanæ, nec nodo astringuntur, nec aura leniore prouehuntur, quàm uero unius dei cultu, saluatorisq; Christi: ut, etiam si religio hæc nullam spem afferat, quæ multò sunt his, quibus in terris fruimur, potiora, consequendi, nec beatissimam, & immortalem uitam polliceatur, huius quidem certè, quam hic degimus, uitæ optima, pulcherrimaq; ratione, quam Plato nimirum, cum de legibus scriberet, est auguratus, nihil à moderatore deo potuerit homini dari uel fructu melius, uel dignitate maius. Quamobrem gubernatores omnes, & in re.p. principes, qui statuerint & sibi, & cæteris integrè, sanctèq; hanc esse seruandam, & colendam, ita hoc officio, & studio obstringent uniuersos, ut unico beneficio omnia, quæ tribui possunt, potiora illis contulisse uideantur. Sunt autem exædificationes ædium, & sacrorum rituum institutiones magna illa quidem beneficia, & grata; sed nescio, an sint alia maiora, & gratiora, & ad religionem non minus pertinentia: qualia uidentur esse, alimenta, quibus hæc desunt, procurare; oppressos ære alieno liberare; præsertim si quos carcer detineat inclusos; egentibus muliérculis, nec, unde dos ipsis detur, habentibus largiri, quo possint nubere, pudicitiamq; inuiolatam seruare, exercere hospitalitatem non eas quidem ob causas, quæ plerosq; mouent, ut sint hospitales; cum aut se non esse opulentos existiment, nisi cæteri istam eorum admirentur opulentiam, aut amicorum studeant propugnaculis

gnaculis muniri, aut ad quaestum aliquem hospitum utantur auxilio; sed quia Christus ita faciundum praeceperit: qui, praeter caetera, quo pacto nos deceat hospitales esse, demonstrauit; quum eos tantum ad prandium inuitari iussit, à quibus similis huiusce compensatio muneris nulla expectari posset, gratiam nimirum humanam aspernatus, qui diuinam omnino praeferebat. Profectò *cùm est laudabilior, tùm uerò deo ipsi multò gratior illa hospitalitatis ratio, quae propius ad misericordiam delabitur; nec patitur esse crudelitati, & inhumanitati locum: quum, quae ad uictum sunt necessaria, praebentur egenis; aegrotantes humaniter excipiuntur, & ad medicinam cura insuper adhibetur.* Hanc planè *& sequi oportebit, & seruare; aerisq; publici partem illam, quae ipsis uidebitur, in ea, quae graecè* ξενοδοχεῖα *dicuntur, decernere: quae quidem, si non sint in urbibus, & municipijs, quantum facultas patitur, constituenda sunt: nec committendum, ut & exuatur humanitas, & pietas deseratur: quae in rectè instituta ciuitate prima, & praecipua esse oportet.* Diuus Gregorius, is, *qui primus hoc nomine pontificatum gessit, uir cum uitae sanctitate, tum singulari doctrina praecellens, horum in primis collatione beneficiorum posteris, quod sequerentur, reliquit exemplum clarissimum: nam & paternam domum ita consecrauit, ut esset perfugium egenorum, quos mancipatis religioni bonis in urbe alebat: &, ubi pontifex creatus est, tanto studio, tantaq; pietate delatum obiuit munus, ut praestantissimis actionibus sibi à Christo commendatum gregem declararit; quem uigilantissimum pastorem, & eum, quem quaerimus, beneficum, atq; uniuerso populo Christiano salutarem aetas illa se agnouisse laeta est.* Ergo nu-

merum ille diuorum auxit; tulitq; fructum, qui ex beneficentia optimo cuiq; debetur. E' *pontificibus autem nostri temporis nonnulli in maximi sacerdotij administratione ab ea ratione, quam sequutus est* Gregorius, *ita se alienauerunt, ut priuata utilitas fuerit his multò charior, quàm publica: tantumq; abest, fortunis suis egentes ut iuuerint, ut etiam, dum opes quammaximas propinquis student relinquere, non contenti reditibus amplissimis bona publica dilapidàrint; quæ maiores optimis artibus, maximisq; laboribus, ut essent firma, comparàrant.* Quos, *quæso* Iuli, *ne sequare; siquando (id quod fore auguror) te uirtus tua istuc euexerit: illos potius imitare; illorum similis esse tum uelis, qui se dignos olim tanto honore præstiterunt.* Leonem, *inquit* Iulius, X. Pont. Max. *puto te cogitare; qui* Parmæ, *&* Placentiæ *urbium pactione cum* Francisco Gallorum *rege fœdus iniyt, ut falsa prætenta causa (nam propinquitatis ornandæ, atq; extollendæ cupiditas illum impulit) patrem meum* Vrbino *spoliaret, eum; qui* Iulianum Medicem *profugum, atq; extorrem patria aliquando perbenignè receperat.* Hunc *ipsum, inquam, in primis uolo dicere; qui, quæ* Iulius II. Pont. Max. *paulò antè magna uirtute, fortunaq; recuperauerat, duo pontificiæ maiestatis firmissima propugnacula, atq; ornamenta regi concessit, mox ob non seruatas pactiones armis ab eodem illa ipsa repetiturus; ut* Familiæ Mediceæ *causa (fuit enim tum hominum hæc suspitio) aliquando animum ad maiora adijceret, præsertim fortuna priore deiectus.* De *his, inquit* Antonius, *omitte loqui tam audacter* Iacobe, *ne forte paulò grauius offendas, siqui sunt, quibus minus grata futura sit istæc oratio: potius ad rem institutam reuertere; præ-*

ſertim qui noris, obſequium amicos, ueritatem odium parere: quod tu à Terentiano *Soſia pridem diſcere potuiſti.* Cupio, inquam, *Iūli (ut* Antonio *rectè admonenti obtemperem) in primis tu, qui potes, eo pacto hoſpitalis ut ſis, quo maximè hominem Chriſtianum eſſe decet: haud propterea tamen uelim curam iſtius ſplendoris, quem à maioribus tuis hæreditarium habes, te abijcere, ut nolis habere hoſpites eos, qui clari ſunt, & inſignes: nam ipſam rem. p. patere illuſtribus hoſpitibus, ut* Venetijs *fieri ſolet, uidetur ratio dignitatis poſtulare; præſertim ubi nulla ex hac liberalitate expetitur gratia: ſed hoc ita temperandum eſt, ut alteri ne ſit impedimento; quod quidem ſic præferri debet, ut ſuperuacaneis, & minus utilibus, quæ neceſſaria ſunt, ac ſalutaria.* Huic *autem illud eſt affine, ac proximum, ut, ſiqui à prædonibus capti in ſeruitutem eorum uenerint; quos* Maumethis *nefarij hominis figmenta leuiſſima, & ſcelera à uera religione auerterunt, eos à ciuitate redimendos curent: idem enim tempus, eadem impenſa duplex beneficium parit; quum & libertas ei, qui amiſerat, redimitur, & id quod multò eſt cumulatius, liberior poteſtas reſtituitur colendæ Chriſtianæ pietatis, quæ tum cõſuetudine impiorum, tum acerbiſſimo ſeruitutis iugo profligata tota ſæpe deperit.* In *horum, & reliquorum huiuſmodi collocatione beneficiorum, quæ ſunt cum humanitate coniunctiora, citius exhauriendum eſt ærarium, quàm in eorum, quæ urbem interdum magis exornent, quàm ei proſint; aut, ſi utilia ſint, non æquè, atq; illa accuratiſſimè, & ſapientiſſimè à Chriſto prouiſa, quibus omnium continetur ſalus.* Itaq;, *ſi illæ effuſiones pecuniarum, quæ ad multitudinem deliniendam fiunt, reprehenſæ ſunt ab his, qui-*

bus diuina lux nondum ita, ut nobis, affulserat, quantò magis à à nobis huiusmodi omnes reijciendæ sunt, qui à Deo ipso loquente admoniti sumus non factorum tantum, sed uerborum etiam inanium, leuitatemq; quandam præ se ferentium rationem à nobis repetitum iri? Quare ludorum magnificentissimi illi apparatus, & pompa; largitiones præterea omnes, nisi, quæ necessariæ sunt, & utiles, fugiendæ: ne, in quo Athenienses peccantes redarguit Demosthenes, istæc nimia quasi mollities, & ludicrarum rerum amor & turpis sit ciuitati, & de salute quandoq; periclitari cogat. Nihil est enim ad hominum perniciem deterius, quàm luxus, & uoluptas; nihil melius, quàm frugalitas, & labor: & tamen, quoniam & animos interdum relaxari necesse est, & oblectamenta quæruntur, adhibendus est tum ad sumptum modus, tum ratio ad uoluptatem, qua & totius ciuitatis possit laudari parsimonia, & continentia extolli. Illæ autem impensæ uidentur esse meliores, ex quibus haud mediocris utilitas percipitur: quales sunt muri, aquæductus, portus, repurgationes, munitionesq; uiarum; quæ & in præsens, si citò extrema manus accesserit, sunt iucundissima, & in posterum gratissima, & ad temporum diuturnitatem firmissima: neq; enim nosmetipsos tantum debemus diligere, aut aliorum commodis inuidere, ut nihil in mentem ueniat de posteris etiam quandoq; cogitare; præsertim cum ijs beneficijs, quæ à maioribus nostris ipsi accepimus, nobis uti gratum sit, & iucundum. Atq; ex publicis, & ex priuatis opibus, ac bonis in rem.p. beneficentiæ fructus per suos duces hoc pacto constabit. Quò se quidem penitus conferent laudem haud mediocrem ex studio omnium pulcherrimo, honestissimoq; relaturi; præsertim

si, cum tempus postulauerit, ea posthabuerint, quæ sequi, uidetur magis esse naturæ, uirtutis, aspernari. Licebit tamen suis aliquando aut amicis, aut propinquis, & necessarijs opitulari, nec, si prudenter, & considerate id fiat, ulla ab auctoritatis usu metuenda his est aut inuidia, aut nota ad ignominiam. Vtrumq; à se repellent, qui nullo publicarum rerum incommodo alterius commodum augere studebunt: exigit hoc humanitas: æquitas patitur: fert etiam, aut potius hortatur ciuitas, cuius maximè interest ciuium suorum priuatas non tueri tantum, sed etiam amplificare, & augere fortunas. Itaq; nulla sui iactura libenter eos beneficijs complectetur, quorum opibus, ut tales sint, quales in eam esse debent, suas, si fortuna ipsius ita ferat, aliquando sustentatum iri arbitretur. Si uerò beneficium ita collocabitur, ut ex priuata publica quoq; existat utilitas, laus tum pietatis adiungetur ad amorem; factumq; probabitur, quod antè solum reprehensione carebat: ut siquod munus aut affini, aut delegetur amico, cuius consilium, & recta sapiensq; gubernandi ratio sit ciuitati profutura: aut sicui maiore ipsius fœnore pecuniam publicam res. p. mutuetur ad rem familiarem uel seruandam, uel maiorem etiam faciendam. In quo illud præcipiendum est, ne, ut diximus, temere istuc fiat; ne'ue nisi iudicio adhibito alicui ad beneficium ab his præstetur auxilium, etiam si nihil inde detrimenti sit rei. p. prouenturum. Virtus enim illud cauet potissimum, ut habeatur ratio personarum; qua de re paulò diffusius in his, quæ sunt reliqua, à nobis differetur. Nunc id tantum statuatur, in quemuis eorum, qui iure aut affinitatis, aut amicitiæ diligantur, beneficij genus quoduis, præsertim si hoc à re. p. deriuetur, non esse con-

ferendum; idq; tum quòd uirtus ex se ita requirit; tum quòd nihil est, quod uniuersis æquè conducat, atq; sua unicuiq; pro ratione dignitatis beneficia, quasi præmia, impertiri: ut, præterquam quòd uidetur æquitas seruari, is hominum proborum, & industriorum in officiorum collatione delectus ciues omnes exemplo ad earum rerum studia, quæ laudabiles sunt, incendat, & trahat. Hæc, consimiliaq; huius generis, siquando libera ciuitas rerum omnium his gubernacula detulerit, persequentur, quibus propositum est uitam sic instituere, ut officio, quod alteri præstetur, eam nunquam uacare uelint. Regibus autem, ijsq;, quorum non sunt annua imperia, muneraq;, eadem propè omnia, quæ suprà summatim perstrinximus, benefici ut esse optent, & uelint, obeunda sunt, & seruanda. Nam & religionis studium illis præcipuum esse debet; & optimarum legum uallo omnia munienda, quod per licentiam nec ipsi transgrediantur, nec alios transilire omnino sinant; & cum in honorum, qui ad nutum eorum conferuntur, distributione, cum in erogatione pecuniarum sic se adhibeant oportet, ut appareat huc omnia ipsos referre, ut sint, quibus præsunt, quambeatissimi; nec ijs in mentem ueniat, aut interdum cogantur ad alios transferre imperium, quorum singulari uirtute, amore erga omnes, spectataq; in agendis rebus industria sperent se fortunatiores, & beatiores fore. Verum colendæ beneficentiæ ijs hòc maior incumbit cura, quò est ipsorum cum liberior, tum amplior facultas promerendi: & quò leuior de peccato plectendi est metus, hòc grauius periculum famæ ipsis subeundum est. Aut, qui rationem ab his exigat administrati imperij, & apud iudices cogat alicuius criminis

causam perorare, ut habeant neminem; nec pudore prostrato semel existimationem nominis ullam curent, etiam'ne tam uecordes sunt, & impij, ut in Dei *optimi maximi esse nolint imperio?* N*imirum hoc est gigantum more uelle bellare, qui, ut est in fabulis,*

T*er sunt conati imponere* P*elio ossam,*
Scilicet atq; ossæ frondosum inuoluere olympum:
T*er pater extructos deiecit fulmine montes:*

præsertim cum & se ipse regem regum esse proclamarit, & pij homines admonuerint, eum metuendum, qui uerius, quàm, quod fortunæ tribuit Horatius, *stantem columnam proruens, & uni adimens, alteri diadema defert. In hunc si intuebuntur, si, qua idem uniuersum genus humanum complectitur, eos quoq;, qui fidei suæ commendati sunt, beniuolentia prosequentur, si regna à* Deo *cogitabunt sibi tradita non ad libidinem, & quæstum, sed ad rectam, sapientemq; eorum moderationem; nec* Cyri *senioris sapientia, quam in cœlum usq;* Xenophon *uir clarissimus extulit, stimulum ad laudem ullum poterit his adhibere; qui sint uirtutum omnium præstantissimum, absolutissimumq; præ oculis exemplar habituri deum: nec odio ullo mouebuntur; qui diuino erga uniuersos amore flagrabunt: nec auaritia, aut alicuius rei minus laudabili cupiditate ad inferendum damnum, aut ad iniuriam impellentur, quos beneficiorum magnitudo tanta, quanta per ipsos potest existere, manifestè arguet ueros esse beneficentiæ cultores. Quamobrem frustra his quicquam præcipitur, ubi hæc, quæ diximus, & cogitanda sibi, & facienda esse decreuerint.* S*edati enim prius, & immortalis dei ope uacantis perturbatio-*

nibus animi prudens, & rectè institutum consilium sequitur facilis, atq; expedita rerum gubernatio. Quis est enim rerum adeò ignarus, qui nesciat, quibus rebus contineatur felicitas, & salus illorum, quos imperio regendi sibi facultas est permissa liberior? quibus artibus commoda tueatur? quæ rationes sint pro rerum, temporumq; natura ad communis utilitatis omnium procurationem afferendæ? Quo è genere illa sunt, summam si adhibuerit diligentiam, ne aut ciuitates simul uniuersæ, aut priuati homines ob causam ullam, quæ publica sit, (nisi tamen cogat necessitas) æs alienum contrahant, minus autem ob priuatam: uetere, eoq; præsertim magno, & graui liberentur: oppida, loca'ue, quæ aut alicuius culpa minus utilitati eorum consulentis, aut hostili manu diruta sunt, ac deserta, recreentur: seditiones comprimantur: tollantur omnibus è locis discordiæ: reprimantur cædes, quæ ferè ubiq; fieri in magna licentia solent: itinerum, & agrorum, oppidorum etiam maiora interdum furta, & latrocinia depellantur: est enim iustitia comes, & adiutrix beneficentiæ cum in omnibus, tum potissimum in regibus; sine qua planè beneficus nemo esse potest. Huiusmodi facinora, ut exempla his ne desint, raro admodum patrantur in Hispania; ubi nec sceleribus hisce uenia ulla datur, sed seuerissimè in reos animaduertitur, uixq; maleficis facultas ulla euadendi; quorum salus alteri uel ipsius capitis periculo accidit; & omnibus etiam tum urbibus, tum uicis, tum domibus propemodum singulis istæc hominum improborum facta studio saltem ad hanc rem adhibito sunt præstanda. Contrà uerò, id quod omnium turpissimum est, in Italia ferè tota ferro, & igni etiam aliquando à plerisq; saeuitur in eos, quos

habent pro hostibus; aut unde prædæ alicuius inhiantibus crassatoribus sese offert occasio; ubi, quoniam aut aliquantò loci plus est gratiæ, quæ rei maximè salutaris curam aufert, aut imperantium, qui permulti sunt, discordiæ agitantur graues, & hostilem in modum inimicitiæ exercentur; facilè perfugium sceleri est, atq; audaciæ; aut etiam augetur improbitas, quæ nullo pœnarum metu repressa, præmijs insuper, & multorum fauore allicitur, & fouetur: aut, si nonnulli scelera palàm oderunt, clam uidentur hæc alere, dum aut amicitia, aut amore lucri in castigando remissiores sunt: alijs enim impune licet esse sceleratos, alij pœna leuiore plectuntur. A' quibus quidem cum omnes debent abhorrere, quorum in rerum capitalium ratione, & animaduersione criminum exercetur studium, atq; industria, tum uero reges, ad quos suprema esse solet in propulsatione iniuriarum appellatio: nihil enim est uel ad dissoluendam hominum inter se coniunctionem perniciosius, uel ocio, tranquillitatiq; omnium infestius, uel ad rerum deformationem, euersionemq; grauius, quàm peccandi licentia, quàm scelerum impunitas, quàm salus improborum, præsertim si, unde probis uiris illorum expectatur interitus, ea illinc petita esse uideatur. Iniqua autem, & grauia uectigalia æquiore feruntur animo, nec tantum popularium incendunt odia in principes, quantum aut iniuriarum depulsio nulla, aut eas propulsandi cura paulò remissior. Et tamen benefici qui esse possunt, qui minus ijs, quos tueri debent, utiles propè ui adimunt ea, ex quibus & sua illis commoda, & ornamenta comparantur? Quare nec tributa exigenda sunt, nisi causæ urgeant necessariæ: & minuenda potius, quam augenda uectigalia: quod

illud ſit liberalitatis, hoc auaritiæ. Nec *uitium ferè ullum turpius eſt in regibus, aut grauius ad ignominiam, quàm auaritia; quia rerum multarum magna, & affluens copia iure ab his augendæ pecuniæ cupiditatem poſſe uideatur excludere. Quo magis his implendi, quod nulli proſit, ærarij fugiendus amor; à quibus maior beneficentiæ cultus iccirco exigitur; quia ſit eorum ampliſſima illius exercendæ facultas: quam quidem ſi, ut maximè poſtulat dignitatis ratio, hi coluerint, felicitatem ſibi hinc uniuerſi poterunt certam, atq; exploratam polliceri.* Neq; *uero auaritiæ ſuſpitionis depellendæ cauſa, ut ex his nonnulli faciunt, cum non habeant, quod dent, hac ratione pecuniam, & reliquas huius generis opes parare ſibi licere putent: hoc enim qui facit, non uidet ſe iniuſtum potius, quàm liberalem eſſe: quî enim iuſtus eſſe poteſt, qui alteri, quod ſuum eſt, adimat? quî liberalis, qui multis noceat, ut & ſibi in primis, & ijs, quibus ſtudet ſe præbere liberalem, proſit?* Neq; *uero uelim illud mihi obijci hacce in re, quod nonnulli uidentur affirmare, regum cupiditatibus magis obſequentes, & leuiter, aut etiam iniuſtè ab his aucupantes gratiam, quàm ueritati, & æquitati conſulentes, iuſtam uidelicet quamlibet tributorum, aut uectigalium penſionem uideri propterea, quòd nihil ijs priuatum eſſe decernant: quibus ratione imperij in homines ius etiam tribuunt ad fortunas priuatorum: hoc & natura uidetur reijcere, & optima imperij inſtitutio recuſare; quæ nos docent eſſe hos à* Deo *potius inſtitutos, ac datos hominibus, ut eſſent, qui eum imitati in terris beneficentiam in primis colerent, & iuſtitiam; quibus uirtutibus & ſuam unicuiq; rem à ui tuerentur, & iniuria; & non habentibus potius aliquid, aut*

etiam multum, quum possent, largirentur, quàm habentibus auferrent, aut egentibus nihil darent. Quamobrem *ijs, qui eo munere, quod regum proprium est optimorum, fungi uolunt laudabiliter, ac præclarè, fugienda est istæc ratio cumulandæ pecuniæ, & augendarum rerum, minus illa quidem honesta, & probanda, si alia ineatur, atq; salutis, & dignitatis defendendæ, causa. Quod si aliter fieri non possit, auxilium à priuatis petere tum licebit. Mihi autem in his, reliquisq; rem. p. administrantibus illa conficiendæ pecuniæ ratio ualde probatur, ut salutem sibi pretio redimant, quibus aut uitam iure adimit delicti natura, aut corpori dolorem affert: nisi tamen fuerit tam atrox scelus, ut nefas sit hominem leuiore pœna mulctari; aut alteri fiat iniuria, qui detrimentum, aut iniuriam ab aliquo acceperit, quem irrogato lege supplicio affici, quàm liberum, & incolumem esse, malit.* Hæc *si caueantur, fieri poterit tanquam uectigal honestum bonorum mulctatio; ne quamuis leues causæ tributa semper exigant: nam & maximo bonorum beneficio delicta puniuntur; in quo ipso iustitiæ uis elucet; & alterius beneficio pecuniam lucratur, qui quærit.* Quare *nemini parcatur, qui deliquerit; adhibeatur lenitas in castigando, quam commendet necessitas: ne tamen auaritiæ causa quotidie nouarum legum, aut edictorum promulgationibus peccata quæri uideantur.* Nunc uerò, *sicuti plerisq; alijs in rebus, ita in hac tota ratione pecuniæ peccato est locus. pauci admodum reperiuntur, quorum sit in alios potestas paulò liberior, qui non malint libidinem suam iactura multorum turpiter explere, quàm utilitati priuatorum seruire quàm honestissimè, & uitam, quam ipsi minus sanæ mentis homines, deprauatiq;*

iudicij beatam ducunt, & expetendam, aliorum miserijs, calamitatibusq; sibi comparare; aut per summum dedecus citius abuti præcellenti, ac diuino munere; quàm & gloriam; quæ unius est beneficentiæ, & eam, quam hæc præstat, immortalitatem sequi. Alijs quidem auri fulgor mentis aciem ita præstringit, ut ingens eius aceruus in arca congestus felicitas his una esse uideatur; qui libentius,

O ciues ciues quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos;

patiuntur sibi ad aures personare, quàm illud alterum eiusdem poetæ carmen:

Vilius argentum est auro: uirtutibus aurum.

Hoc & Mida Rex, & M. Crassus declararunt, quorum inexplebilis auri cupiditas monimentis consignata est ad ignominiam eorum sempiternam. Alios uero ad se trahit multorum de se ex ostentatione magnarum diuitiarum prædicatio, leuissima illa quidem, & non à regibus tantum, sed à quouis etiam contemnenda; quæ & ex stultissima uulgi opinione colligatur; & cum ingenti multorum damno; aut etiam, si paulò plus ferueat hoc amore, miseráq; cupidine pectus, calamitate, pretio haud paruo concilietur. Quidam dominandi libidine flagrantes ita effrenes sunt, & magnorum imperiorum auidi, ut suis quantumuis & opulentis, & amplis non contenti aliena regna concupiscant: idq; unum animo excelso, & magno dignum ipsis uidetur, illud, quod idem Horatius præclarè cecinit parum approbantibus:

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis

Gadibus iungas, & uterq; pœnus
Seruiat uni.

Minus fortasse esset dolendum, si hoc furore tantum raperentur Maumethani reges, quos superstitionis nefariæ auctoris doli minus de peccato cogitantes fefellerunt; nisi etiam, quos de cœlo tot ante demissæ uoces, ac demum Christi *ipsius, in cuius leges dedere nomen, præcepta sanctissima erudire homines possent; ac non tantum seruare iustitiam uellent, quæ alieni minus appetentes esse doceat, sed, ut ne odia ulla, discordiæue oriantur, de suo iure quandoq; aliquid alteri concedere, hos haud interdum leuior, quàm illorum, stimularet amor imperij, atq; ita incenderet, ut eius, quod temerè nimis ipsi concupiuerunt, potiundi causa iura omnia humana, diuináq; uiolarent: cuius rei* Germania *potissimum exempla extulit perniciosissima; nec tantis, quæ subsequuta sunt, malis, nostra, ut ego auguror, finem, ætas est allatura.* Quæ *omnia regum, principumq; execrabiles rerum, quas diximus, cupiditates pepererunt.* Quantò *autem cum est laudabilior, tum uerò propius ad usum beneficentiæ accedit ratio illa & augendi imperij, & parandæ pecuniæ, & redituum, qui è regno percipiuntur, distribuendorum, quam* Ioannes III. *hoc nomine rex Lusitaniæ sequutus non paruam ex re bellica gloriam assequitur, nec unquam exhaurit ærarium; & ex liberalitate omnium sibi beniuolentiam, amoremq; conciliat* Lusitanorum. *Circa oram, tractumq; illum Africæ longissimum, qui oceano mari alluitur, bellum est illi perpetuum cum gentibus Maumethanis, efferisq; nationibus, quarum nonnullas ad fretum gaditanum cum à maioribus suis ui debellatas accepisset, ipse pòst contra im-*

Ioãnes III Lusitaniæ Rex.

petus impiorum sic retinuit, ut depulsis potentissimis hostibus uictoriam semper magna nominis sui laude reportarit. Classis *præterea huius auspicijs ad ulteriora eiusdem maris, & interna delata maximas insulas, regnaq́; opulentissima adorta bello, ad quæ nullius unquam nostrum nomen, famaq́; penetrarat, longè, lateq́;* Lusitani *ditionem regni, gloriamq́; propagauit.* Atq; *id quod est & ad pietatem clarius, & firmius ad memoriam beneficij sempiterni, eius opera, & studio potissimum illorum incolarum pleriq;* Christi *iugo colla subdiderunt, qui subuertente Satana, atq; eorum mentes tenebris obuoluente antè maxima ex impietate pœna tenebantur: ut appareat eius uirtute, fortunaq́;, & reliquorum* Hispanorum *industria, nomen illud eò peruenisse, quod* Isaias *magno cum desiderio earum nationum ad insulas remotissimas perlatum iri tantò antè prædixerat.* Iam *uero* Indis *ipsis ea, quam hominum nefariorum impietas ab* India *expulerat, cum superiorum* Lusitaniæ *regum, tum uerò huius inprimis cura longo pòst interuallo lux demum restituta est: qui non armorum ui magis, quàm pietate in rem omnium maximam incumbat.* Nam, *ut taceam quàm ingentes* Turcarum *copias olim disiecerit, quantam* Cambagis *regis uim fregerit, quanta hostium clade* Dium, & Bazanium *oppida in* India *obsidione liberauerit, regis huius pecunijs, & impensis non in* Lusitania *tantum; sed in* Africa *etiam, & in* India *complures sacræ constructæ ædes: erectæ aræ: & sociorum conuentibus, qui nuper ab* Ignatio *homine* Hispano *instituti sunt, alimenta perpetuò constituta, ut nullo tempore deessent, qui in ultimas orbis terrarum oras quoquouersus proficiscentes* Christianum *dogma prædican-*

do latè propagarent. Eadem autem ratio, & industria regiam auget pecuniam, quæ belli gloriam: rerum enim, quæ illinc exportantur, cum uarietate, & copia, tum auro, argentóq; onustæ naues longo, ac perdifficili itinere ex altero orbe uix demum huc peruectæ partem Europæ maximam & aromatibus referserunt, & præter nobilissima omnium metalla lapidibus etiam pretiosissimis decorantes locupletauerunt. His igitur opibus rex auctus, & non ad tuendam solum regij nominis fortunam, sed ornandam etiam instructus nec, quæ grauia sint, Lusitanis uectigalia imponit; nec nisi necessariò (quod accidit perrarò) tributa ulla ab his exigit: &, quod ab omnibus regibus seruari oporteret, quia id sit ipsis cum regia fortuna dignissimum, tum ad securitatem quasi tutus contra impetus popularium tempestatum portus, & utile priuatis, æris publici, quod ex reditibus annuis is conficit, partem maximam ijs omnibus, qui è Lusitanis nobiles sunt, ita diuidit, & opes impertit suas, ut planè paterfamilias, non dominus; fortunarum publicarum custos, non priuatarum compilator; &, quales optimos reges Homerus fingit, pastor, non imperator esse uideatur: quia, in quos potestatem habet, hos prudentibus consilijs regat, & rebus suis alat, nec ad libidinem suam abutens imperio, nec aut ui, aut prætenta alicuius honesti specie surripiens de fortunis. Præterea gratum adeò de se in re paulò maiore benemerentibus uideas, ut horum merita redundent in liberos, aut affines; qui, quæ uiuentium dabantur industriæ, ac labori, præmijs ipsi etiam post eorum mortem perfruantur. Talem uerò, tamq; probatam gubernandi disciplinamà suis maioribus optimis, amplissimisq; regibus sibi quasi per ma-

nus traditam non modo retinuit, ubi hæreditario iure in paternas successit opes, sed consilijs etiam sapientissimis ipse adeò auxit, ut cæteris hinc exemplum non desit clarissimum uel ad beneficentiam exercendam, uel ad laudem ex re bellica comparandam; quæq; in Cyro ad iusti effigiem imperij efficta sunt, in hoc ad historiam, & ueritatem expressa dicas. In hunc si alij intuebuntur, præter cæteras laudes, quibus se uniuersis commendabunt, minus urbes suas, loca'ue sumptibus exhaurient: sed contrà aliqua etiam his de suo iure concedent, multosq; habita horum ratione dignitatis honoribus, & opibus honestabunt; nihilq; magis esse è dignitate sua iudicabunt, quàm omni cura eniti, ut nihil his ad felicitatem desit, quorum fortunas, famam, salutemq; in fidem receperunt. Id autem facillimum erit ipsis consequi, si præter liberalitatem, reliquas quoq; uirtutes, quibus regem eum, qui beneficus esse uult, omnino præditum esse oportet, cum imperio coniunxerint. Nimirum hoc illud est, quod Plato eloquentiæ facilè princeps uisus est asserere, beatas tum demum res. p. futuras, si, qui regerent, aut Philosophi essent, aut philosopharentur: coniunctionemq; hanc potestatis, atq; sapientiæ uniuersis icirco saluti fore iudicauit, quia facultas summa rerum seiuncta à moderatione, & prudentia, tantum abest ut sit utilis alicui, ut uel maximè perniciosa uideatur, & ingentium malorum ferax; uirtus uero non multum alteri prosit, si, quibus instrumentis utitur ad functionem sui muneris, ea omnino huic desint: ut eos tantum philosophos, aut philosophantes accipiamus hoc loco potissimum ex Platone, qui studium suum in excolendis moribus sibi collocandum esse statuerunt, unde beatitudo possit ad alios emanare:

nare: qua contemplantes soli perfruuntur. Itaq; horum, quæ planè diuersa sunt, istæc quasi conspiratio, & colligatio sola bonorum ad rationem beneficentiæ maximè requiritur; cuius uim planè philosophus is, quum hæc scriberet, expressit. Neq; aliud *æquè optandum est, atq; ad opulentiam sapientiæ adiunctio, quæ & res tueatur, ornetq; secundas, & in regibus præsertim perfugium plerisq; sit in aduersis.* Nam studium illud doctrinæ, qua*le in plerisq; uidere est nomen inane tantum præ se ferentibus, nec philosophum constituit; qualem intellexit* Plato; *qui nunquam uoluit illum uiuere, ut uulgus, ut sapientem, loqui; nisi cognitionem rerum continuò sequatur par dignitas actionum: nec sat alterum iuuare potest, quod aut nihil, aut parum laboranti ipsi ad multa, quæ sunt ad uitam necessaria, prodest.* Hac *si ratione ad philosophiam se reges contulerint, ut malint sapientes esse, quàm uideri, nihil planè esse poterit uel melius ad utilitatem uniuersorum, uel ad commune otium optabilius, uel præstabilius ipsis ad gloriam: nec tantum damna, aut iniuriæ, quæ alicui inferantur, horum offendent animos, quantum in omnes beneficiorum collatio oblectabit; eoq; citius prodesse uolent, quàm non obesse, quò laudari satius est, quàm non reprehendi.* Quanquam *reprehensione is non caret, qui, cum possit, quod uirtus ab unoquoq; exigit, præstare, atq; aliorum commodis inseruire, ferat per desidiam se (ut non sit ulla potior compensatio) rei præstantissimæ, qualis est gloria, fructu iucundissimo spoliari.* Quin *hæc ipsa causa homini uitium affingit: propè enim tam est iniustus, si, quod est beneficij loco, quum hac ratione prodest, ab altero non arceat iniuriam, quàm si ipse afferat: nec minus turpe est habere, de fa-*

cultate rectè agendi culpa ipsius aliqua sibi ablata quod quis tum doleat, quum, quod peccatum est, sera nimis pœnitentia corrigere haudquaquam potest. Quamobrem ijs, quos præ cæteris Plato ad aliorum utilitatem à Philosophia uoluit auxilium petere, non modo quicquam prætermittendum est, quod non efficiant, & studeant in summa rerum potestate, istuc præstare quum possunt, ut sint, quos moderantur, quàm beatissimi; sed etiam illud prouidendum est, ne aut per ignauiam, & animi minus, quod aliquando futurum est, prospicientis socordiam, aut, quod deterius est, per aliquam libidinem rem eò deduci patiantur, ut uiribus longè præponderatura sit rei aliquando bene gerendæ uoluntas; ne, pòst, quod in prouerbio est, de ipsis dicatur, serò sapiunt Phryges: quod ijs maximè turpe est, quos uel ipso iure naturæ cæteris consilio, & sapientia antecellere oporteat. Atq; ut & melius, & expeditius suum expleant munus, quod totum iccirco à beneficentia trahitur, quia sit hæc communis boni procreatrix, non facta tantum sua ipsorum debebunt ipsi præstare, sed aliorum etiam, ac, si fieri possit, omnium. Quod quia admodum difficile est in infinita hominum multitudine, & tam corruptis huiusce præsertim temporis moribus, saltem in delectu eorum, quos muneribus præficient, & quasi socios in partem laborum sibi adiungent, diligentem rationem adhibebunt. Idq; cum omnibus istuc præceptum sit, quibus rerum publicarum gubernacula tenentibus necesse est propter magnitudinem oneris in administratione rerum aliorum uti adminiculo, atq; opera; præcipuè his uero, qui priuati nunquam futuri sunt, ita est curandum, ut nihil hoc sibi futurum putent uel opportunius ad leuationem oneris, uel ad

conciliationem gratiæ efficacius, uel tutius, firmiusq; ad salutem, conseruationemq; rerum. Frustra *enim laudatur regis continentia, & uirtus, quæ plerumq; non prodest magnopere, nisi coerceatur libido partes imperij administrantium; à quibus interdum cum priuatis hominibus, tum ciuitatibus simul uniuersis tantum affertur malorum, quantum & uidemus quotidie, & periculo nostro experimur. Planè locus hic, ut uideo, omnium maximè est lubricus; in quo uelle hærere periculosum est; præterlabi autem nihil eorum explorantem, ac stilo perstringentem, quibus nihil uideri possit indignius, eum fortasse minus decet, qui & nonnulla præcipere, quæ salutaria sunt, & ad communis utilitatis curam alios incitare studeat: malorum enim exemplorum, siue ea præterita sint, siue præsentia, & iusta, & seuera, grauisq; reprehensio solet nonnullos aliquando (nisi fuerit insignis improbitas) à peccato deterrere: ut, quos honesti uis minus moueat, hos ignominiæ reuocet ex turpi metus.* Ex *eorum enim numero, qui nunc rem. p. christianam regunt, paucos admodum reperias, qui propinquitatis amore protracti non malint ignauo cuiuis, & quamlibet rudi, ac imperito homini prouinciam quantumuis arduam, ac difficilem delegare, quàm strenuo, & prudenti, qui paulò sit ab amicitia, & familiaritate remotior; præsertim si ea quæstuosa sit, & lucrum cum honore coniunctum: hoc enim pernicioso, & turpi exemplo, quod iam, ubi maximè ad rerum moderationem maiorem sapientiam adhiberi oporteret, prauitate multorum diuturni temporis spacio inueterasse uidetur, sibi nonnulli ea licere putauerunt, quibus nec ad calamitatem multorum extitit grauius, nec scelere deterius, nec turpius ad infamiam.*

Parumq; his ipsis placuit illud optimum, sanctissimumq; institutum, quo quondam Honorius IIII. *Pontifex Max. est usus. Is enim Ioannem Boccamatium, quem credere par est illa aetate fuisse hominem & pium, & doctum, Cardinalem creauit: alium praeterea neminem: qui diceret doctrina, & moribus insignes esse oportere, qui tanto oneri pares esse uellent; usqueadeo in hoc seuerus, & grauis, ut (quod minus hodiè cernere est) suorum neminem (fuit enim è Sabellorum familia, quae Romae perillustris est) in collegium cardinalium cooptauerit. Virum huius similem ad tollendam in re minus honesta ambitionem multorum utinam nostra tempora aliquando tandem ferant: quibus quae fiunt, libet silentio praeterire, ne offensionem eorum incurram, quibus placet ita uiuere, ut praeteritorum conscientia nulla delictorum uocet, & alliciat ad futura. Tantum eos admonitos uelim, quos non modo iuuat culpa uacare, sed etiam rectefactorum inuitat laus, ut sint ipsi continentes, & cum moderati, tum etiam sapientes, si leuiore cum labore benefici esse uolent, honores ut mandent hominibus, & publicis negotijs praeficiant, qui pari sint, & uitae continentia, & uirtute: quoq; liberior est ipsis facultas ad deligendum, hoc cautior, & prudentior de re tam necessaria, & utili debet esse deliberatio: quo'ue minus ab his facti exigitur ratio, & apud iudices necesse habent causam dicere; hoc magis fugienda est aut stulta, aut cum scelere coniuncta temeritas, praesertim ubi de salute omnium agitur. Vt enim iudicium nullum subeant hominum saepe, quae uera sunt, mentientium, nec irrogatas legibus, in quas ipsi uolunt habere imperium, poenas luant peccatorum, in iudicium tamen grauissimum est omnino ue-*

niendum, quod nec pecunia tentari, nec, qua plurimum pollent, gratia corrumpi, nec uitio ullo, turpitudine'ue contaminari potest. In hoc nostra planè longior est oratio, quòd hæc latissima uis, & auctoritas imperij ferè uniuscuiusq;, ni caueat, sensum animi, rationem'q; ita peruertit, ut & hoc, & pleraq; minus laudanda habeat pro rectis, & honestis. Nec tantum beneficentiæ fores occludit; quum honorem, qui est haud mediocre beneficium, immerenti, & sæpe uitijs inquinato deferentem non sinit esse beneficum; sed, ut dixi, aditum etiam ad scelera patranda, & malorum congeriem patefacit, qui improbitatem, aut stultitiam uult & honoribus, & opibus præcellentem efflorere. Vt interea sileatur quanta omnium fermè indignatione, & odio pleriq; extollantur, quos æquius erat deprimere; & quot dissidia, quot seditiones, quot commotiones animorum tum oriantur, & incendia, quum boni negliguntur; beneficia in eos, qui indigni sunt, conferuntur; alteri propè, quod suum est, aufertur. Quid hoc iniquius, quàm, quæ omnium ferè consensu (ut ne stoici nunc simus) maxima, quandiu sumus in hoc uitæ curriculo, putantur, sua uirtuti præmia denegare? Hinc rerum mutationes crebræ: hinc casuum uarietates: hinc euersiones regnorum; placet'q; plerisq; uersus ille horatianus.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus;

qui uel capitis ipsius periculo sæpe repetuntur. Nostra memoria Odetto Lautreco homini Gallo præfecto Mediolani cum habita ludibrio, irrisa'q; nobilitas, & uirtus multorum, & illustrium uirorum, tum per insolentiam compluribus lacessita iniurijs tanto

exarsit odio in gallicum nomen, quantum id fuisse credere par est, quo Franciscus I. hoc nomine rex Gallorum & optimus, & clarissimus multis, magnisq; acceptis cladibus demum Italia est expulsus: tantum malorum inuexit unius uiri stulta, aut improba temeritas, eos, quorum honori, & famæ consulere oportebat, fastu intolerabili despicientis, interdum etiam contumeliosè dilacerantis. Martino Lutero nihil uel notius ad impietatis exemplum, uel ad nouitatem rei maius; qui, ut ferunt, ob denegatum à Leone X. Pont. Max. sibi apud suos sacerdotium, cuius pro tanti facinoris magnitudine tenues admodum reditus erant, suis nefariis conatibus totam rem. p. Christianam perturbare ausus est, ea molitus, quæ ne cæteris molientibus propulsaret, nulla debebant quantumuis ingentia tormenta deterrere; præsertim qui religionem eorum professus esset, quos quondam instituisset is, qui cum disputationibus, tum libris editis hereticorum omnis generis hostis acerrimus extitisset. Viri certe fuit insignis improbitas, nec tanti sceleris causa ulla esse debuit: docuit tamen ea res diu rem. p. nullam aut stare, aut seditionibus uacare posse, in qua præmiorum æqua distributio non seruatur. Quamobrem reiecta omni cupiditate, quæ rationi inimica beneficentiam excludit, consilio graui, & moderato in deferendis honoribus est opus. Qua in re duplex ex beneficio existit laus; quum & uirtuti honos datur, & huius ad hominem probum, & industrium delegatio multa in reliquos beneficia ex se parit. Idq; cum semper faciendum est, tum uerò maximè, si ad imperium nulla rerum agendarum cognitio, nulla disciplina gubernandi accesserit: quarum rerum utinam ne tam multi essent ignari: nec ij, quibus harum deest scien-

tia, potestate regia, & nomine uidentur omnino digni. Et ta-*men quoniam id et sæpe accidit, et, ut eueniat omnino, datur à multis opera, à rebus grauibus, & præclaris, uoluptatum, quas in magna rerum omnium copia ipsis redimere perfacile est, multis illecebris eorum cogitationem, curamq; auertentibus, cum ratio imperij uix, aut raro patiatur eo se abdicantes ad priuatam fortunam declinare, hoc idem ferè assequi uidebuntur, si, quod proximum est, ignari ipsi cum sint, consilia prudentum approbabunt: prima enim sequentem honestum est in secundis consistere: nam, quæ hic tertia uidentur, auctore* Hesiodo *fugienda sunt: nunquam, qui post primum, & secundum tertius fuerit, poterit esse nisi & maleficus, & omni scelere, uitioq; detestandus.* Is *uerò, cui secundus locus tribuitur, illud habet, quod est in omni uirtute præcipuum; uult utiq; esse beneficus, qui tamen multa ignoret in hoc genere, quæ sequatur.* At, *cum uelle difficillimum sit, & ab eo in primis, cuius in omnes petentes liberalitas est mira, exorandum, facillimum est, quæ agenda sint, perdiscere, si, quæ sapientes præcipiant, audiuerint, si monitis paruerint, si horum se consilijs subiecerint, qui reliquorum domini esse uolent. Sed cum uirtutes omnes præcipuè in regibus laudabiles sint, necessariæq; ad beneficentiam, profecto illa, qua flagitiosi compescuntur amores, libidinesq; temperantur, mirum in modum extolli solet, & esse omnibus quàmgratissima; siue quòd ab infamiæ metu quàmplurimos liberet de uxorum, liberorumq; pudicitia solicitos, quam à regia libidine haudquaquam tutam fore suspicantur; siue quod rei minus honestæ moderatio specimen præbeat sapientis, & probati regis: in summa etiam*

potestate peccandi in eo, ad quod omnes natura procliuiores sumus, uirtutis usus uidetur esse iucundior. Qua in re potissimum est ab uxoribus alienis abstinendum, nec aut blanditijs amor harum pelliciendus, aut ui castitas est uiolanda: cuius patrocinium fideliter susceptum à potentioribus beneficium plerisq; est maximum, neglectum, & spretum iniuria. Huius rei exemplum propè recens & insigne, & clarum habemus Andreæ Lampognani *ciuis* Mediolanensis; *qui* Galeatium Vicecomitem Mediolani *principem ob uxorem ab eo turpiter, & flagitiosè constupratam intrepidè ad aram quandam armatum interfecit, nec astantem populum ueritus, nec deliberata morte ipse præferox apparitorum arma. Itaq; seuerè ab his animaduertendum in eos, qui cum alterius famæ periculo nequiores esse cupiunt, exemplo prius honestissimo, & uitæ castitate reliquos ipsis post se pertrabentibus. Hanc legem nuper nonnulli neglexerunt, flagitiorumq; turpi macula regiam dignitatem dedecorarunt summa cum approbatione eius decreti; cuius in libris de re.p. auctor* Plato *nunquam potuit aut* Athenis *suam hacce de re probare sententiam, aut, quo ille putauit se ingenti beneficio homines obstricturum, id ut acciperent, ea, qua plurimum excelluit, dicendi copia ab his impetrare. Quæ cum ita se habeant, uidere perfacile est, quantum ab unoquoq; colenda sit temperantia, cuius in conseruatione rerum tam latè pateat uis, recti, incorruptiq; iudicij conseruatrix: quantumq; in publica persona uitæ hanc continentiam soleant omnes & amare, & gratam habere; quæ uel in hostes ipsos in* Cyro *seniore primum, &* Alexandro Macedone *optimis, amplissimisq; regibus, post in superiore* Africano *imperatore, ac duce populi*

Romani

Romani clariſſimo ſempiternis laudibus ſit immortalitati conſecrata. Illud etiam eſt cùm rege, eoq́;, quem uolumus, principe digniſſimum, tum ad beneficentiam maximum, prouidere, ne in toto imperio ſint, qui rerum ad uictum neceſſariarum egeni quoquouerſus uagantes magno cum dolore bonorum hoſtiatim ſibi alimenta quærant, interdum etiam frigore, fameq́; miſerè depereant omni prorſus ope deſtituti: inhumanum enim eſt, ac ferarum ſimile, nolle, cum poſſis, in extremo periculo ad ſalutem illa cæteris impertiri, quæ ad tuendam uitam, omnibus communia ut eſſent, natura procreauit: cui planè uim quandam affert, qui homines per ſummum ſcelus fame necatos uult, dum his eius liberalitatem claudit. Atq́;, *ut ſiquis copiarum dux pecuniam accipiat, quam det in ſtipendium militibus, hanc uero ad bellum profecturus in quæſtu domi relinquat, rem. p. turpiſſimè uidetur prodere, quia ob ducis auaritiam militibus pugnam detrectantibus uictor plerumq; euadit hoſtis, imperioq́; potitur, ſic is, cui multò plura, quàm poſtulet neceſſitas, ab immortali deo tributa ſunt ad copiam, impiè facit, qui præter decretum principis, & moderatoris dei illa ſibi ſoli mancipare ſtudet, quæ ea conditione accepit, ut egentibus communicet: ne hi, quos, ut reliquos, uult eſſe incolumes, quandoq; in uitæ diſcrimen uocentur.* Vt *taceam, quàm ingratus ſit, qui tantum abeſt ut gratiam ullam de ſe benemerenti referat, ut etiam eius beneficium in reliquos ui propè auferre uideatur: quaſi tam multiplices, tamq́; diuerſos ipſe è terra educat fœtus; illud autem non intelligat, uires ſuas tam imbecilles eſſe, ut ne cubito quidem ſe maiorem facere poſſit, quàm ſit ei naturæ lege præſcriptum.* Quamobrem *nihil eſt immortali deo gratius,*

quàm ſiquis non patiatur alterum concidere, & mori nihil præter aquam, & aerem, commune habentem, cuius ſeruandi facultas non deſit. Hæc *autem in regibus ampliſſima eſt: non enim opulentia tantum, qua reliquos hi longè ſuperant, ſed auctoritas etiam, & imperium (modo uelint) inopiam facilè ſubleuat: nam & ſuis opibus ipſi hanc alere, & alios, ut idem faciant, poſſunt auctoritate cogere. Quanquam exemplum magis allicit, ut libenter pleriq; agant, quæ principes facere cognouerunt. Quod autem una ciuitas olim præſtitit, idem in reliquis fieri poſſe quiuis affirmauerit. Memini ego, Parmæ cum eſſem apud meos, quo anno* Odettus Lautrecus Gallici *dux exercitus ad liberandam urbem* Romam *eſt profectus, ob ingentem annonæ penuriam egenorum numerum adeo magnum eò confluxiſſe, ut uiæ urbis refertæ his eſſent, &, ubi porticus erant, pernoctarent, quos hoſpitales ædes capere non poterant: ex his complures per aliquot dies ſummo mane à prætereuntibus non ſine lacrimis conſpici mortuos, dein ciues tantam hominum calamitatem miſeratos inter ſe partitos onera omnes hoſpitio ſuſcepiſſe, quæq; neceſſaria ad uictum forent ſuppeditauiſſe; ita ſublato è conſpectu omnium luctuoſo ſpectaculo quàmplurimos fuiſſe ſeruatos.* Docuit *tum inuenta ratio in difficillimis etiam temporibus urbis huius, quam rebus ferè omnibus hiberna militum exhauſerant, leuiore negotio ubiq; multorum neceſſitati poſſe ab his conſuli, qui rem. p. tenent, ſi ad eam rem curæ aliquid uelnt impendere, quam* Chriſtus *tantum extulit, ut inquinati uitijs animi maculas hac ratione in primis elui poſſe aſſeuerauerit.* Eadem *ciuitas biennio antè multò præclarius ex diuturnitate beneficij huiuſce pietatis exemplum re-*

X

nouauit: quæ, cum primum longa obsidione liberata est, nihil habuit antiquius, quàm statuere, apud se ne essent in posterum, qui ob inopiam uictus incertis sedibus passim uagarentur: tribus ædibus recepti omnes: è ciuium numero delecti honestissimi homines, qui simul ex tota ciuitate his alimenta conquirant. Itaq; unà cum *his, quas supra commemoraui, uirtutibus charitas hæc erga inopes, ut ars histrionibus in scenam, sic his maximè afferenda est ad imperium, quos non sibi uiuere, sed alijs dij, hominesq; statuerunt.* Ex *quo intuenti perspicuum est, & clarum, eum, de quo nunc loquimur, uirtute omni, ut non semel explicatum est, præditum esse oportere.* Qui *autem aliqua in re alterum lædit leuiusculè, cum in cæteris prosit, statuamus hunc perfecta quidem carere laude beneficentiæ, beneficum tamen posse appellari, qui se ab insignibus abstinens iniurijs multò plura, eaq; ingentia in uniuersos beneficia contulerit.* Et *quamuis iure ipso naturæ legi huic, qua aliena attenditur utilitas, unusquisq; addictus esse uideatur, magis tamen ad reges pertinere dicimus, ipsos cæteris quàmmaximè esse utiles, ac salutares, Iouiq; ipsi præstare se quàmsimillimos conditione naturæ: à quo uno haud temerè poetæ ueteres eos potissimum ali uoluerunt: non enim præpotentem solum fingunt, ac imperantem cæteris; sed opt. max. etiam appellant; quòd mortales saluos, incolumes, opulentos, copiososq; efficiat.* Nec *huius filium* Herculem *in cœlum sustulit præclarorum in omnes homines nisi fama meritorum: quem qui sequentur, aut uerius, qui spreta gloria, quam ab hominibus fortasse aucupari studuit, facta imitabuntur, hoc erunt nostri duces conditione potiore, quo magis est ea, quam se sequentibus* Christus *pollicetur,*

adumbrata illa immortalitate uera æternitas & optanda, & quærenda. Audisti, inquit Antonius, Iuli, *quæ ciuitatum, populorumq; moderatoribus, benefici ut esse uelint, tribui oportere* Iacobus *statuerit: iustos enim, & pietatis cultores primum; dein continentes sic hos esse uult, ut non in se ipsis tantum, sed in alijs etiam uitæ continentiam hanc ament.* Hæc *tibi in primis præcepta esse putato: nam pridem ad aliorum tenenda gubernacula te non tantum maiores tui amplissimi, clarissimiq; duces iure hæreditario uocant; sed ista etiam dignitas, qua uideo te auctum, par regiæ maiestati compellit, ut cogitationes tuas, studia, curas omnes huc tibi conferendas esse putes: munus enim, quod religio ipsa consecrauit, debet augere maxime pietatis studium, & uirtutis.* Quanquam, *si exempla magis placent, patrem habuisti, quo iustiorem, continentioremq; ducem nullum, aut æquè paucos* Vrbinates *habuerunt.* Me uero, inquit Iulius, *magnopere hæc delectant; tum quod noua quædam, atq; hactenus, quod legerim, aut audierim, de beneficentia à nullo tradita nostris auribus intulerit, tum quod in explicandis præceptis hunc eam uideo ingressum esse rationem, ut multis prætermissis quæstionibus, quæ possunt hinc existere, riuulos ne consectaretur, sed fontes ipsos aperiret. Etenim quibus regibus, aut rerum publicarum gubernatoribus persuasum fuerit, uirtutes omnes aliorum utilitatis causa sibi esse colendas, pietatemq; seruandam, nullo docente ipsi, quæ sint ad cumulatam laudem beneficentiæ agenda, cognoscent.* Pergat *modo reliqua: nisi forte uerendum sit, ne sat temporis suppetat ad ea oratione explicanda, quæ animo est ipse complexus.* Rectè, inquam, Iul*i* me admones: nam, si hæc, quæ tu dicis, ad exitum usq;

persequi uoluero, dies me deficiet. Quamobrem satius esse duco in aliud tempus, eum, qui reliquus est, differre sermonem. Ego me interim quieti dabo, mox ad te reuersurus, ubi ad audiendum tantum ocij nactus eris, quantum utriq; dies hodiernus tulit.

IACOBI PHOLII DE BENEFICENTIA LIBER TERTIUS.



VM *expectarem, quonam die reuersurus essem ad institutum de beneficentia sermonem, ad iij. Id Nouembris ecce mihi summo mane à Iulio nuntius, qui refert Iulium, & Antonium cupere, disputationem, quam aliquot ante dies imperfectam reliqueram, uti absoluerem; proin ad prandium inuitare: à meridie enim ad uesperam usq; ocio abundaturos. Libenter, inquam, in utroq; Iulio morem geram: nam & nihil est, quod ego malim, quàm cumulato beneficio promereri, quem beneficum maximè esse decet; & hilaritatem postulat hic dies Diuo Martino consecratus: non queretur me hodie conuiuas morari. Fit prandium, idq; satis lautè, & hilariter. Multi autem tum aderant conuiuæ: qui ubi omnes post uarios sermones, qui epulas sequi solent, abire se uelle dixissent, ad hi-*

bliothecam, inquit Iulius, hora nos quoq; admonet, Antoni, ut reuertamur. Tum Antonius, eamus, inquit, Iacobe: uideo enim te hemicyclum spectare, qui, cum cæteri dudum inter se colloquerentur, tecum solus nescio quid meditari uiderere. Itaq;, ubi bibliotheca nos excepit, uobis, inquam, exoluam nunc, quæ animo antè cogitata, si recordamini, ad exitum ne perducerem, temporis angustiæ effecerunt. Satis, inquit Iulius, ea memini, quibus, qui præsunt cæteris, ad beneficentiam abs te altero sermone instructi sunt: neq; enim tam multa sunt, ut facilè memoria retineri non possint. Rei autem huiusce summam paucis ferè uerbis complexus statuisti, regem eum, aut magistratum, qui beneficus esse, & haberi uelit, iustum, & pium in primis; dein continentem esse oportere: neq; enim, quæ sua sunt, adimet alicui, qui, pro dignitate omnibus consultum ut sit, uolet: nec, si poterit, quenquam patietur egere, quem pietas liberalitatem amare coget: nec cuiusquam pudicitiam uiolabit, qui & uitæ exemplo, & iure officij alios à turpitudine auocabit. Illud autem, ut uideo, reliquum est, edoceas, quo pacto in angustias priuatæ fortunæ ædes beneficentia deduci possit; quam hactenus in amplis regum, principumq; theatris egregiè ornatam collocasti: tum quæ in collatione beneficiorum seruari oporteat: etiam, siqua in controuersiam possint uocari, nobis explices: neq; tamen omnia, quæ de his rebus disputari solent, aut possunt, ea te nunc amplecti uolo: satis ero his contentus, quæ cum magis necessaria esse, tum reliqua, quæ seorsum traduntur, in se ipsis continere uideantur. Faciam, inquam, Iuli, ut iubes: neq; in ijs, qui priuati sunt, erudiendis ab his, quæ huc usq; tradita sunt, tam diuersa afferam, ut publicis hominibus

horum pleraq; non possint esse communia. Itaq; siqua illic fortasse desunt, ea hinc petenda erunt. Illa autem sunt magis propria priuatorum præcepta, quæ ad honorum petitionem adhibere necesse est; quæ qualia sint, modo ex me cognoscetis. Quanquam nihil horum latet Antonium, qui non modo tantum meminerit, quantum legerit, ac didicerit; sed ingenio etiam ipse suo excogitare multa possit. Vellem, inquit Antonius, ita esse, ut dicis: tantum enim abest, ad ea, quæ paulò reconditiora sunt, aditum ipse tentare ut audeam, ut etiam munus id, quod profiteor, sentiam me uix tueri posse: quod quidem ipsum quale sit uides: usus enim plus requirit, cogitationis uero minus. Me tamen non mediocriter delectat, siquid aliquãdo eiusmodi audio ab alijs, quod animum interius alere, ac detinere possit: quanquam hæc ipsa, quæ tu nunc disputas, non nimis abhorrent ab hoc nostro genere forensi: nam, quæ de moribus philosophi præcepta dedere intra parietes, hæc doctores nostri in forum ad communem usum uitæ traduxerunt. Sed iam tempus est, ut, quæ sunt reliqua, pertexas: in quo, ut radio texenti fila, ubi nihil currentem remoratur, sic tibi dicenti oratione longius licebit excurras: nos te nihil impediemus: nisi siquid eiusmodi inciderit, quod ambigẽtes ad quærendũ trahat.

Neq; uero, inquam, illustri quadam, & excelso loco positi homines soli, tanquam boni athletæ, uocantur ad palmam; aut his tantum in regno beneficentiæ collocatis licuit summa cum laude, admirationeq; omnium coronari; priuato etiam cuiq;, &, quem uirtutis insignia nulla decorarunt, aditus patet ad gloriam: cuius perfruendæ spem huic exploratam afferre poterit cum facultate iuuandi adiuncta ad præclarum studium animi alacritas: hæc

enim una non patitur otio, ac desidia torpere languentem, sed uel ipsas uires auget ad gratificandum, uel stimulum addit ad laborem. A:, *licet ex collato beneficio laus in publica persona sit clarior, quàm in priuata; nihilominus aut par præmium utriq; ab æquissimo iudice deo tribuitur; aut in referenda gratia fortassis hoc est potior conditio priuatorum; quò leuius ob nullam ex publico munere impellentem causam, quæ uel inuitos trahit, his promerendi onus imponi solet. Sed tamen, quoniam eadem lege naturæ tenemur omnes, & unius imperio dei subijcimur, eius, cuius participes effecit, rationis opus ab unoquoq; exigentis, debent ij statuere, sibi non minus, quàm illis, eam uiuendi rationem esse amplectendam, quæ nascentibus omnibus, atq; eam, quæ cum corpore coniuncta est, uitam degentibus communis esse uideatur; tantumq; persoluere, quantum permittit uirium facultas: ut omnino sat à se actum quiuis putet, si det, aut agat, quantum possit: atq; etiam, ut possit, enitendum est.* In primis autem priuatus *quisq; animum debet inducere, nihil ut habeat antiquius, nihil charius, nihil sanctius, quàm patriam ipsam; quàm salutem omnium, quàm commune bonum: præcipua cura huc referenda: nec est prætermittendum quicquam, quo ciuitatis contineatur utilitas, ac decus, quod non agatur sedulò.* Ac, *quoniam, quæ habentur amplissima, ea uix pauci assequuntur, qualia sunt rem.p. legibus, & institutis fundare, ac stabilire, florentem augere, afflictam recreare (hæc enim non fiunt absq; ingenio, consilioq; magno, & opibus) fructu beneficentiæ haudquaquam is carebit, qui, quæ reliqua sunt, ei diligenter, studioséq; præstiterit officia: quæ nec contemnenda, & maiora fortasse sunt, quàm ut quis illa esse putet,*

tet, tenuem quandam, & quasi obscuram, nisi rem perpendas, præ se speciem beneficiorum ferentia: ea autem sunt, quæ à iustitia in primis, uirtutibusq; quibusdam, à quibus beneficentiam nunquam secernimus, proficiscuntur. An *parum is ciuitati prodesse uidetur, qui amore in patriam, non pœnarum metu, suis contentus, aliena quæ sunt, minus ipse concupiscit? aut, si acciderit, ut imprudenter plus æquo habeat, petenti, quod suum est, haud est opus aduocato, nec ui protrahere in iudicium renitentem? qui furtum, rapinam, cædem putat esse morte grauiora? adulteria odit? iram, quæ alteri noceat, compescit? statuitq; sibi esse ab omnibus iniurijs, contumelijsq; abstinendum? præterea, si sors ita tulerit, mortem pro patria ultro fortiter oppetendam? qui deniq; iura omnia ciuitatis seruat inuiolata? leges uult reiecta libidine dominari? magistratum colit? regem obseruat, & ueretur?* Hæc *ego tanti facienda duco, ut haud facilè his maiora à priuato ciue in rem.p. beneficia desideres: his enim officijs uidetur omnium salus ipsa contineri. In quo quidem caueat illud, ne perniciosas leges, & aut in libera ciuitate libertatem impugnantes, aut publicam labefactantes utilitatem, dignitatem'ue earum auctores ipse suo fauore prosequatur; aut quauis ratione scelus aliquod in patriam, & rem.p. molientes iuuet: horum (siqui unquam existent impij) nefarijs conatibus obstabit: secus si aget, hoc est, si aut in scelere socium se dabit, aut metus alicuius mali coget communem causam deserere, maximè utiq; maleficus is erit. Atq; cum, ut dixi rei.p. hostes execrandi, & pellendi; tum uero dei unius, &* Christi *saluatoris nostri præcepta, ac decreta refellentium, atq; impugnantium, præterea, quæ ad religionem pertinentia om-*

nium Christianorum consensu pridem sunt recepta, conuellentium ita detestanda est impietas, ac furor, ut tormenta quantumuis ingentia pro defensione Christiani nominis, eorumq; quæ ad bene, beateq; uiuendū à deo docti sancti patres seruanda docuerunt, refugere sit nefas. Id *quod ab innumeris hominibus olim factitatum legimus, læto animo supplicia ipsa adeuntibus, & gloriam uel maximam ex morte, quæ ab impijs turpissima habebatur, quærentibus tum; quum sæuientium populorum, & regum præceps insania, & furor inusitatis pœnarum generibus, quibus delere nitebatur, rem christianam augeret, & nomen; & in unius capitis iugulum dimissus ensis, instar lernæi monstri, quàmplurimas quotidie Christo deo uictimas immolaret.* Hoc *siquis agat, idemq; nolit, quod iniustum est; imperanti obtemperare, tantum abest; beneficus ut non sit, & iustus, ut, qui alterum, atq; huic repugnans malit, maleficij omnium maximi, & criminis reus esse uideatur.* Neq; *enim his, qui se pro pietate morti olim deuouerunt, aræ essent à posteris erectæ; neq; dij ex hominibus facti uerius, quàm, quos stulta consecrauit antiquitas, nisi præclarissimi facti exemplo reliquos traherent ad ea imitanda, quæ amplissima omnium in uniuersum humanum genus beneficia haberentur; de quibus poeta quidam ita cecinit,*

Martyres hinc, atq; inde Senes, & magnus Adonis
Astabunt læti, quondam qui sanguine fuso
Tutum iter æternæ nobis strauere salutis:

neq; de homine probo, & sapienti tanto cum assensu audientium carmen illud diceretur,

Peiusq; læto flagitium timet,

si, quod turpe est in homine imbecilliore, uiri præpotentis excusaret auctoritas. Atq; de hoc genere beneficiorum hæc satis. Quæ sicui minus huiusmodi uidebuntur, quia uel honesti uis tanquam maximè debita ipsa reposcat, uel, non sicut ex arca, fructus in alios uideatur extare tenuior, cogitet is ad ea, quæ modo explicaui: non enim beneficia sola æstimantur pecunia: sunt alia multò ampliora. Quibus autem priuatus quiuis nullo auri pondere, aut pretio comparatis, sed aut sola animi uoluntate, quæ, siquis erga alterum propensam habet, beneficiorum thesaurus est maximus, aut officio, quum hoc est opus, rem. p. iuuare possit, ea sunt in primis, quæ exposui; ex quibus quidem tanquam initijs, ea, quæ beneficiorum secum ferunt expressiorem effigiem, oriuntur. Quem enim amor uirtutis impellit, ut noceat nemini: æquum se omnibus præbeat; incolumem rem. p. optans legum, & iusta imperantium iussa persequatur, non tantum minus honesta is oderit (quod ipsum tamen est laudandum,

Virtus enim uitium est fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse)

sed improbitatis odium continuò subsequetur is amor probitatis, qui nullo pacto ignauum, desidemq; esse patietur. Alterum enim non seiungitur omnino ab altero; aut potius, si rem paulò diligentius consideremus, fieri non potest, ut odium deformitatis non incutiat pulchritudinis desiderium; quiq; uitium fugerit, uirtutem propè necessariò non sequatur, si eorum, quæ pugnantia sunt, sublato altero remanere alterum omnino est necesse. Sed hæc poetarum more separauit Horatius: *nisi dicas hunc sic fecisse, ut ex odio uitij, naturam repugnantis inchoari, & statui uoluerit,*

atq; hoc ipsum tanquam initium alterius nomine uirtutis appellauisset: secus uirtutis magis est, quæ sunt honesta, agere, quàm uitare turpia; ut detur distrahi hæc aliquando posse: id, tamen, fieri qui possit, non uideo, si ad rectè agendi uoluntatem facultas comes accesserit. Verum, quoniam ea, quæ in multis cernitur, uitæ ratio à malo inferendo remotior, quàm procliuis ad iuuandum, uidetur harum rerum diuersitatem quandam constituere, dicamus, utrumq; quidem rectum esse, & toti ciuitati salutare, atq; utile; sed alterum cùm natura ipsa, rationeq; uirtutis honestius, tum fama illustrius, quo tota mente, & animo, amota omni, ablegataq; procul ignauia in alterius auxilium insistitur; præterea quò laudabilius, hòc arctiore uinculo nostrum quemlibet ad idipsum teneri, & astringi. Quare haudquaquam contenti nos priore, licet, ut ostendi rei.p. intersit habere moderatos, & continentes ciues, ad alterum dijs, hominibusq; approbantibus pergamus omnes; &, quandiu nobis in hoc obscuro corporis domicilio commorandum est, studeamus tales nosmetipsos præstare, quales ut essemus, & natura effecit, & prius auctor, atq; opifex naturæ sanxit. Itaq; in primis eniti debemus, ut publicæ saluti, & honori consulatur; opibus hæc magis aut protegendo, aut augendo, quàm nullum inferendo incommodum. Qua quidem in re, quæ necessaria sunt, & utilia, ijs, quæ ornatus tantum causa fiunt, semper anteponentur: ut, quum bellum urget atrox, & calamitosum, si se suis opibus, uectigalibusq; aut libera ciuitas, aut rex tueri nequeat, tum, qui priuati sunt, suis fortunis auxilium, ut etiam nullus cogat, periclitantibus ferre ne grauentur; præsertim si iustum id fuerit, & magis aut libertatis, aut defendendi im-

perij causa, quàm ob cupiditatem propagandi, susceptum. Planè non uideo, cur non sit facturus turpissimè, & grauissimè reprehendendus, si quem rerum leuiorum iactura moueat in eius periculo, pro cuius salute iure & naturæ, & gentium omnium uita est ei profundenda. Præclarè P. Cornelius Scipio, is, qui deuicto Annibale, debellataq; Carthagine triumphum omnium egit clarissimum: nam post cannensem pugnam cum ciues quosdam romanos actum omnino de romano imperio metuentes sensisset de fuga cogitare, stricto super eos ense in uerba quædam iurare cogens nunquam, inquit, ego rem. p. deseram, neq; alium ciuem romanum deserere patiar. Labentibus igitur rebus publicis primum, ac præcipuè succurrendum est adminiculo rerum priuatarum, quas nec rectius usquam, nec laudabilius expensas dices. Laus autem ex beneficio, quod commune sit, huic proxima sequitur; quum multorum subleuatur inopia opem à re. p. ipsa implorantium, quam uniuersis pro necessitate, & ordine consulere oportet, si ea sit optimè instituta; hoc est, si eas leges seruet, quæ à Christo salutares, & optimæ sunt datæ. Ex hoc genere sunt illa, aut, si cui multa supersint, patere ciuitati horrea ipsa, unde depromi possint, egentibus quæ dentur, alimenta; aut, si largiri nolis, quod benefici magis est hominis, pecuniam, si habeas, non habenti absq; fœnore mutuari, unde illa comparentur. In quo à plerisq; delinqui solet, contrà, quàm fieri oporteat, annonam in summa eius penuria supprimendo, benignitati fores occludentibus, nec pecunia iuuantibus egentes, quos præ nimia eius cupiditate miseros fame excruciatos uolunt: hoc scelere non multa atrociora inuenias: uereq; in hostium humani generis numero ha-

bendi, qui sibi ipsis tantum ea addicant, quæ natura & prouida, & liberalis, ut essent, unde uitam duceremus, communia omnibus esse uoluit. Tantam igitur impietatem execrentur ij, à quibus huiusmodi affluentibus copijs ea beneficia exiguntur; quæ prima omnium, & maximè necessaria natura attulerit. Atqui *hæc, & huius generis reliqua gratiora proculdubio uidentur, & maiora, si non præsentes tantum, sed etiam, qui post futuri sunt, fructum aliquem ex hac liberalitate percepturi sint.* Cuius rei *prisca sæcula exempla non multa protulerunt: ut non deessent, qui uel misericordia rerum humanarum moti, uel protracti amore gloriæ præsentis beneficij collatione sola lætarentur; idq; propterea, quòd nimis stultè, & falsò de his, quæ post animorum migrationem è corporibus contingerent, ueteres ipsi iudicabant.* A*t, ubi diuina uox de cœlo in terras demissa est, seq; animis insinuauit humanis, tum demum ueritate cognita, detectisq; erroribus spes suas longius homines protendentes, non contenti præsentibus, futura cogitarunt; quibus ad omnium parentem deum iter sibi expeditius muniendum arbitrarentur.* Hanc *ob causam &* Christo, *& his, qui eius sectati uestigia iter sibi in cœlum aperuerunt, templa quamplurima extructa: dicatæ aræ, & instar oppidorum latæ, ingentesq; constructæ ædes, hospitia, perfugiaq; egenorum: nec in alios, atq; in hos laudatissimos usus patrimonia à plerisq; erogata.* Id *autem cum ubiq; in* Italia, *tum uero Senæ, quæ urbs est Ethruriæ nobilissima, & factum aliàs, & nunc etiam fieri solitum est; ubi tanta fit diminutio de fortunis priuatorum; quæ iure hæreditario* Xenodochio *illi celeberrimo mancipantur, ut, ne penitus exhauriantur, decreto ciuitatis bona*

quotannis eiusdem aliquot uenalia esse sit necesse: hoc ni factum ita pridem fuisset, careret urbs illa ciuibus, quae rem familiarem prope omnem in hospitalitatem exercendam collocasset. Dici uix potest, quantum sit hoc beneficium, quo inopia laborantibus, & miseris salus retinetur; iuuatur posteritas, Christiana religio alitur; quae quidem & uero dei cultu, & charitate erga caeteros homines expletur. Nam urbem murorum uallo priuatis pecuniis praemunire, aut reficere corruentes, aedificia ad communem usum substruere, portus, naualia exaedificare; atq; huius generis similia conficere, quibus liberalitatis huiusce posteris prodatur memoria, nec necessitate cum his, quae diximus conferenda sunt, nec tam pietate clara. Quae tamen & ipsa permagna sunt, & ampla; atq; cum ad superiora, quae uidebuntur, impenderis, si perficiundi facultas suppeditabit, haudquaquam omittenda: tunc enim liberalitas uidetur cum magnificentia coniungi, quum ex priuata munificentia publica existit utilitas, quae impensa ampliore consistet. Quanquam, si hoc spectetur, amplo, & sumptuoso Xenodochio nihil uel ad pietatem optabilius, uel ad magnificentiam clarius esse potest. Largitiones autem, quae fiunt utplurimum ad ostentationem diuitiarum, omnino fugere oportet, praesertim in ciuitatibus, in quibus eadem est ciuium omnium libertas, & lex: ne his, quae plures semper, & boni magnopere expetunt, & student retinere, huiusmodi largitionibus tanquam cuniculis quibusdam priuati ciues insidias moliri uelle uideantur. Quod, si quis recuset esse leuissimus inanis gloriae captator, sed honesti tantum causa, & quia Christus ita faciundum praeceperit, eo modo liberalis esse uelit, quo caeteris ad exemplum maxime expedire arbi-

tretur, ad euitandam in urbe libera suspitionem occupandi imperij, tutior ea est ratio collocandi beneficij, cuius paulò ante à nobis mentio facta est; si, cuius maximè interest saluti, & commodis omnium prouidere, rem. p. locupletet ipse priuatis opibus, quibus illa pòst egentibus subuenire possit. Quanquam nihil prohibet multa largientem quotidie inuidia nulla conflagrare, & cæteros exemplo allicere, quibus hac ratione beneficos esse libet, si reliquis in rebus seruata huic pridem fuerit ea uitæ integritas, aut potius, cum id fieri uix possit, ipsius se amatorem ostenderit, cuius in sacra historia ad auctoris exemplar nobis est imago depicta. Quæ cum ita se habeant, atq; harum impensarum, quæ, qualiscumq; causa homines ad largiendum impellat, multis prodesse uidentur, cautior ineunda sit ratio, ne contrà, quàm fieri deceat, odium aduersus auctorem nascatur ex beneficio, de apparatibus ludorum, de theatralibus pompis, de curriculis equorum, reliquisq; huiusmodi dici quid poterit? tantum quidem abest, ut, qui de re familiari ob studia leuissimarum rerum quicquam imminuit, prosit alicui, ut uel multis obsit: dum uoluptatibus irretiuntur, qui maximè sunt ab his tanquam meretricibus fucata facie miseros, incautosq; fallentibus amouendi; sitq; præterea in re leui opulentiæ leuissimus ostentator. Quare liberalitatis huiusce, in qua inest leuitas quædam, genus omne reijciendum est, præsertim à nobis, quibus uera dei sapientia instructis non facta tantum, sed dicta etiam sunt ubiq; præstanda. Ac, si aliquando animi causa exercenda sit, uoluptatem moderatam aliqua sequatur utilitas. Verum perrarò id fiat propterea, quòd rei ludicræ paulò maior cupiditas nimiæ leuitatis iusta obiurgatione non caret.

Ludi sunt illi probandi, qui & honesti sint, & ciuitati utiles; cuius rei causa potissimum sumptus huiusmodi facere cum oportebit, qui in hoc quoq; beneficum se præstare uolet. Atq; hac ratione priuatis cuiusq; bonis rei. p. licebit uel ad utilitatem, uel ad suum ipsius ornamentum frui. Beneficentiæ autem fructus, quem ex altera parte horum bonorum (ea autem sunt honores, magistratus, imperia) percipit hæc à priuato ciue, potest esse uberrimus. In quo præcipiatur, primum ut uideat, examinet, & perpendat, dignum'ne aliquo honore se præstare possit, & in quo rei. p. operam suam nauare: ne, dum beneficus quis esse uult, eius administrandi stulta, & imprudens ratio afferat aliquod ciuitati detrimentum. Quam in partem tam multi peccant, ut paucos admodum reperias, qui non malint aliena sibi uendicare, quàm his, quæ fortasse interdum possunt duci propria, spoliari: estq; præterea ingenui hominis, nolle profiteri, quod nescias: ut hoc sit loco haud contemnendi beneficij in rem. p. prouinciam, quam humeri ferre non ualeant, etiam oblatam recusare. Dein, ut, qui honorem petit à re. p., aut à principe, ac rege (nam is rei. p. personam gerit) animum ad petitionem afferat erga eos ipsos beneuolum, à quibus is defertur, auiditatemq; præcipuè pecuniæ, si quæstuosa sit prouincia, frenet, ac moderetur: se ipsum enim tantum respicere, id quod pleriq; faciunt, cum iniusti est hominis, tum uero abiecti, & nihil magnum, amplum'ue cogitantis: nec nisi ingratus in referenda gratia esse potest, qui non beniuolentia antè complectatur, à quo speret honore se auctum iri; nec iustitiam ullo pacto colere, qui abuti cogitet beneficio ad quæstum, quod sit ad aliorum utilitatem accepturus. Tertio loco, ubi & iu-

res aliquis suas ad onus fuerit dimetitus, & ad industriam amor in benemerentem socium se addiderit, sequitur cum honestate coniuncta petitio, hoc est, ut ijs artibus nitatur honores assequi, quæ uiro bono, proboq; dignæ uideantur: non gratia, non pecunia, non opibus amicorum; sed industria, studio, & uirtute accedat ad rem. p., plus ut huc ad iuuandum afferat laboris, quàm inde sibi capiat de lucro uoluptatis. Meminerit ea à se quæri, quæ communis utilitatis, non priuatæ; gloriæ, non quæstus; conseruandæ rei. p., non expilandæ, ac delendæ causa dantur: nihil huc afferri oportere, nisi expolitum moribus; consilio maturum; elaboratum industria: dimicandum sibi esse integritate animi; ingenij uiribus; uitæ innocentia: neq; enim non potest magnopere prodesse, qui his innixus adminiculis honores adit, quibus hos assequutus possit patriam aut cadentem fulcire, aut erigere prostratam, aut florẽtem exornare: quarum rerum nulla planè spes est, ubi malis artibus in hanc arcem imperij uiam sibi quis munit. An, si nullum aliud hinc extet beneficium, non est illud maximum, quo uiri eius probitate ciuitas afficitur, qui, cum nouerit ea in re, qua cuncti mortales putant se cæteris antecellere, cupiditatem temperare, tollit omnem honesta contentione discordiam, quam mala ambitio, & plus æquo honoris appetens animus in plerisq; parit? nec patitur ea dimicatione, & pugna ciues inter se conflictari, qua ciuitates multæ, hæq; amplissimæ sunt deletæ, dignitatemq; cum libertate amiserunt? Proximum autem huic illud est, ut alteri ne faueat, ne'ue auxilium præstet ullum, qui sibi non eandem rationem in hac petitione seruandam esse decreuerit, quam ipse ingressus exemplo edoceat huic esse retinendam: aut potius mo-

lientem aliquid, aditumq; ad imperium, munus'ue fraude pertentantem tum monendo, tum etiam increpando auocabit: nec ſinet aut ex ambitione turpi amentis hominis rei.p. ullum infligi uulnus, aut, quem diligi oporteat, turpiter ignominia, ut aliquando accidit, ex repulſa concidere: coniungetq; beneficium publicum cum priuato; qui una, eademq; opera eius, quem honore indigniſſimum uiderit, animum dominandi libidine flagrantem, quacumq; poterit, ratione comprimet, ac ſedabit. Quantò uerò illud maius eſt beneficium, in honoris petitione adiuuare, à quo ciuitati magni alicuius boni ſpes explorata eſſe poſſit? planè nihil non tum agendum eſt, quo & faueatur amicitiæ, aut potius uirtus extollatur; & ea in re, à qua gubernanda cum temeritas omnis, tum cupiditas abeſſe debet, rei.p. conſulatur. Age uerò quid faciat, qui priuata fortuna contentus ſtatuerit nullo tempore rem.p. attingere; ſiue magnitudo cogitationum, onerisq; deterreat; ſiue ſapienter moderandi, eaq;, quæ recta poſtulat ratio, perficiendi deſperatio, quæ proficiſcatur ex ſtulto rege, aut populo plerumq; ſaniora conſilia abijciente; ſiue otium minus illud quidem probandum delectabit, uocet autem aliquando res.p. ipſa hominem, uelitq; in aliquo dignitatis gradu collocare? an non tum is in maximis præſertim eius periculis è ſententia decedat? nec, cui mos in primis eſt gerendus, parendumq; imperanti, aduerſetur? præſertim ſi, quod illa à ciue auxilium implorarit, ei hoc ſe præſtare poſſe intellexerit. Nec debet aut cum ipſius periculo damnare ſtultitiæ, quam ſuo poſſit adiuuare conſilio; aut, quod in nonnullis aliquando accidit, ne forte ſit beneficiorum immemor futura, uereri: à qua nihil hunc, præter fructum pietatis, expectare uolu-

mus. Incusandiq; sunt illi, qui patriam quandoq; aut ingratam accusauerunt, ubi ne ossa quidem, ut P. Cornelius Scipio, condi uoluerunt; quæ ea conditione gratis acceperant, ut cum fœnore, si possent, redderent indigenti; aut sunt delirantem aspernati, quale de Platone legimus; quæ sua sapientia pro ipsorum uiribus ad sanitatem reuocanda fuit. Quid? si ipsa ultrò inuitet neminem, malit autem in deferendo munere deprecatorem, ostendatq; in hoc haud paruam à se iniri gratiam; imprudens autem, nesciensq; periculum adeat, quod ciuis honorem uel negligentis, uel minus quærentis uirtute, industriaq; propulsari possit, permanendum'ne huic in sententia malum imminens prospicienti, tantisperq; expectandum, dum supplex illa porrigat manus, aut ad susceptionem muneris ui compellat abnuentem? An potius, multi, si uno confici res non possit, adhibendi sunt deprecatores; quærenda suffragia; ambiendus honor? causa enim honestissima laudabilem tum ambitionem facit; commendaturq; culpa, quæ cum pietate coniuncta ambientem à grauissimo scelere uindicat impietatis. In Catone reprehensa est grauitas illa stoicorum in tota eius uita admirabilis, præterquam in petitione consulatus; quo tempore fuit ea minimè necessaria: debuit enim cuidam sibi institutæ dignitati præferre salutem populi romani, honoremq; illum supplex petere, qui cum tanta coniuncta uirtus multis, magnisq; eius malis facilè mederi poterat; præsertim cum & certa spes adipiscendi posset allicere ad prænsandum, & hanc in uiro remissionem de summa seueritate mos ciuitatis excusare, aut potius philosophis etiam ipsis probatam efficere uideretur. Si uero rei huiusce ratio ita sit instituta, ut excusationem omnem, & cau-

sam, etiam si honestissima sit, reijciat ambitio, eum, cuius sit spe-ctata, & probata uirtus, rem. p. tantum oportet admonere, rogare, obtestari, siqua urgeat necessitas, aut tempus, si honoris postulet amplitudo, si maiestas requirat imperij, ut sapientissimo in primis rerum moderatore sit opus, saluti, dignitatiq; suæ consulat; nihil temere agat; deligat, quem bonum, integrum, ac prudentem norit; studium præterea suum, operam, industriam de se semper modestè loquendo polliceri. In quo quidem, ut cæteris ne desit exemplum ad immitandum clarissimum, Reginaldi Poli Cardinalis Anglici præcellentem, ac propè diuinam uirtutem, magnitudinemq; animi & præsens ætas effert in cœlum, & posteritas omnis admirabitur: qui nec fortuna regia, qua, præter cætera, is excellit, semper amplissima quæq; spectante impulsus, nec eius gloriæ, qua maxima hominum pars intumescit, amore protractus mortuo Paulo III. Pont. Max. summum pontificatum, quo honos nec excelsior, nec augustior ullus esse potest, nec ambiuit unquam; quia hic sit ambire nefas, ubi ex omni senatu alicuius in pontificem cooptatio tota deo ipsi permittenda est: nec, multorum cardinalium magno consensu cum deferretur, recusauit, cuius deferendi alterius esset facultas: nec creationem paucorum intercessione impeditam nisi seruato more, institutoq; maiorum approbauit; qui nihil æquè gratum, charumq; habeat, atq; id, quod piè, sanctèq; latum, scitumq; esse constat; tantò quidem Catone melior, & præstantior; quantò stoica uanitate Christiana religio; cuius cultor est eximius, cernitur & perfectior, & diuinior: ut ex eorum numero, quos uidemus & maximè pios. & memorabiles uiros, hunc unum sine controuersia habeamus,

qui & pietate, & consilio, & uitæ sanctitate par illis esse uideatur, qui pro Christiani nominis tuenda, & augenda gloria ingentes labores olim magna cum pietatis laude susceperunt. Nec à tanto uiro licebit nisi optima quæq; expectare, si ad non mediocrem sapientiam summa quandoq; auctoritas accesserit: qui nunc, quum uidelicet uis est eius imbecillior ad promerendum, quà est ille humanitate uniuersos & amore, &, quibus potest, officijs etiam amicè prosequatur. Non minus, inquit Iulius, egregia, ac præclara de Polo, quàm uera, narras; quorum planè teste me uti potes, qui tum unà aderam, nec, nisi perrarò, ab eiusdem latere discedebam. Quo tempore quæ illum commentari, quæ dicere, quæ de pietate literis mandare uidi, nihil tum eorum cogitantem, quæ plerosq; nostri ordinis dies, noctesq; magnopere angebant: animo præterea tam sedato, ac tranquillo, ut in illa perturbatione rerum, dissensioneq; partium hominem nihil tum moueret, nisi, quod minus è re.p. Christiana esse uideretur: ad extremum tam moderatum, & constantem, ut eadem æquitate animi, eadem lenitate, eodem habitu oris abeuntem omnes uiderint, quo penè summus Pontifex omnium fere gentium prosequentibus uotis comitium illud est ingressus. Sed qui tibi huius rei in mentem uenit? nullum sanè exemplum abs te afferri potuit, quod aut mihi gratius, aut ad rem commodius esse posset. Atq; hominem quidem hoc pacto malo beneficum, quàm quo cæteri, quos ego legerim, aut audierim, beneficentiæ facultatem largitione tantum, aut opera metientes esse uoluerunt. Neq; unquam, nisi tu docuisses, existimassem, illum, qui, ut multis prosit, statuit sibi lædendum esse neminem, ita uiuendum, ut nihil cogitet, agatq;, nisi,

quod rectum, laudabileq; sit, etiam si non det quicquam, aut nulla in re alteri opem ferat, beneficum & esse, & dici posse: multoq; facilior est aditus ad hanc ipsam laudem, quàm putaram, aut etiam, quàm aliquot ante dies uideris ipse statuisse. Qui, si rectè memini, rem ita difficilem esse dixisti, ut, si non omnino auocare multorum ad eam incitata studia, at certè, si te audiuissent, retardare tua potuerit oratio: solent enim, ut ex te audio, omnes, quibus otium displicet, alacriores multò esse ad ferendum laborem, quem humanæ uires non tam difficulter superare possunt: sin is Herculis *humeris par fuerit, quamplurimi assequendi desperatione franguntur: ita fit, si hæc uera sunt, ut, cum multi in cursum se dent, pauci, quibus suppetunt uires, metam attingant, subsistant reliqui nimis graui labore fatigati.* Quare *hodie meis auribus admodum grata hæc affers: multoq; sum in spem, quæ cupio, adipiscendi erectior, cui contentione leuiore currendum est: nisi tu aliquid ad hæc. Gratiora, inquam, illis possunt hæc accidere, quibus optare magis, quàm habere contigit, quorum inest in multis ad inanem gloriam cupiditas, in paucis ad ueram usus: tibi uerò* Iuli *propterea magis lætandum est, quòd & habes iam, quod dare potes; & summo studio nunc petis, quo non multò post immortalis dei beneficio licebit uti: hoc ubi paraueris, iuuenem optimis instructum artibus, & disciplinis imbutum sequetur mox ex beneficentia cumulata laus: quam scito nunquam te consequi posse, nisi uirtutem cum ista opulentia, & iuuandi facultate coniunxeris. Solæ autem diuitiæ, atq; opes tantum abest beneficum efficere ut possint, ut etiam periculum sit, ne & tibi ipsi maximè, & cæteris, si uti nescias, detrimenta multa sint laturæ: sunt*

enim fomenta libidinum, quas in magna peccandi licentia haud facilè compescas, nisi rationem ducem accieueris. Ei autem, *qui ita se instruxerit, ut seruata semper honestate diues alteri, & potens esse, quàm sibi, malit, ex beneficio tantò ubcrior existit laus, quantò difficilior est uirtutis usus, ubi plus relinquitur ad peccandum loci: ut (in quo informando dudum nostra laborat oratio) consensu gentium beneficus sit is maximè, qui & habeat, in quo alijs usui esse possit; & sui minus amans magna animi alacritate beneficium prudenter locet.* Quare *& uera illa sunt, quæ tum de rei huiusce difficultate disserui; & hoc postremum omnibus maximi boni spem excitare, & ad sequendum animos inflammare potest.* Nam *& uirtus, quam in dando beneficio semper ducem sequi oportet, haud facilè acquiritur, huiúsq; nimirum omnis est laus: & animis ad promerendum incitatis præmium ab immortali deo constitutum, licet beneficiorum collatio nulla secuta sit, satis declarat, ad iuuandum propensam afferre uoluntatem, esse ad cultum beneficentiæ & necessarium, & præcipuum.* Hoc *autem quiuis assequitur, qui uirtutem colere didicerit, eam, ex qua habet in primis, ut & pius sit, & iustus: isq; nolle non poterit, nisi, quod alteri profuturum cognouerit: ut & beneficus possit esse, qui uult; & uelle, qui dei ad se uocantis ope nixus in primis, suo quoq; studio ipse præclaris actionibus pridem a suescere didicerit.* Atq; *hoc quidem loco uoluntatem eam potissimum animi appetitionem accipito, quam tum demissi cœlitus radij illustrauerunt, atq; expurgarunt, tum diuturna rectè agendi exercitatio rationi parere edocuit.* Putabam, *inquit* Iulius, *leue admodum negotium istuc esse propterea, quòd nihil habenti nihil dare alteri,*

alteri, facillimum est; & ab unoquoq; uelle potissimum exigere uidebaris: in quo, ut uideo, non satis ex te perceperam, quid uelles, aut potius non memineram. Nam, quoniam tu me nunc admones, planè recordor te in hac tota disputatione non ea quidem ratione hominem beneficum instituisse, quæ plerisq; philosophis placuit, sed multò potiora, & ueriora spectantem Christi doctoris omnium maximi, atq; optimi ad extructionem operis normam adhibuisse; qui beneficium nō pretio, sed uoluntate dantis æstimarit; & hanc solam, tanquam beneficium ab eo postulauerit, cui cætera defuerunt: etenim eiusdem Saluatoris oratione maior fuit inopis aniculæ liberalitas, quàm eorum, qui, quæ supererant, tanquam minus necessaria in ærarium sacrum contulerunt. Quoniam, *inquit* Antonius, Iuli *rem optimè tenes, hortor, ut illuc, undè digressa est, huius orationem reuerti sinas.* Pergat *modo reliqua, inquit* Iulius: *libenter, ut feci hactenus, audiam dicentem.* Ex *his, inquam, patere arbitror quales erga rem.p. priuatos ciues, quo'ue pacto ei utiles esse oporteat. Illud autem reliquum est, ut, cum id præstiterint, se inuicem mutuis officijs studiosè complectantur. In quo, ut latius suo dicetur loco, primum necessitati consulendum est, dein personarum dignitati.* Atq; *cum uirtus omnis multa nos cauere præcipit, tum uero beneficentia in primis: sapiens enim, & moderata collocandorum beneficiorum ratio tantum ad rerum conseruationem prodest, quantum stulta, & temeraria officit. Singula autem differere uelle nec præsentis temporis patiuntur angustiæ: nec necesse est consectari riuulos, cui propositum fuit tantum fontes quosdam aperire, unde ipsi abunde haurire possetis: præterea beneficum ita instituere alio-*

rum cancellis egressos, ut & bonum quendam, & probum hominem effingentes bonitate, probitateq; omni eum ad aliorum utilitatem uellemus uti. Est autem locus hic multarum quæstionum ferax; quas, quoniam sunt ab alijs explicatæ, modo præterire libet. Nunc illa tantum breuiter explicabuntur, quàm multis modis quiuis alteri prodesse possit; beneficia quæ maiora, quæ'ue minora, censeantur; postremò quæ in horum collatione seruari oporteat. Multa igitur beneficiorum sunt genera, latissimeq; patet uis hæc benemerendi de altero: inest enim in unoquoq; supremo genere eorum, quæ rerum natura continentur: quod, cuiusmodi sit, exemplorum quorundam quasi descriptio breuis explicabit. Licet homini opulento, ac diuiti aurum, aut argentum non habenti largiri: idq; quantum ei siue placuerit, siue necessitas egentis ipsa postulabit: aut doctori præstantissimarum rerum scientiam tradere discipulo. Quod beneficium quoniam & pulcherrimum est, & uirtutis opus, eiusmodi esse dicimus, ut ad ponderandum lancem adhibere necesse non sit. Iam si captum à prædonibus diuitem pecunia quis redimat, cui, nisi tum succurratur, in posterum ad recuperandam libertatem nihil domesticæ profuturæ sunt opes, non'ne is beneficium confert in hunc maximum? nihil tum, si det, hominem subleuaturus, cum hisce copijs domi affluentem uiderit. Quem si apud suos in honoris petitione iuuet, aut colat, gratiam sanè maiorem ab eodem ineat, quàm si istæc alibi faciat, ubi aut nullus, aut perpauci norunt. Actio autem multis modis alteri prodesse solet; ut cum medici manus uulnus ferro secat, sanitatemq; affert ei: qui ferendo ipse quoq; in beneficij collatione socius esse non recusat. Deberi quidem illis plurimum

nemo non dicet, qui aut hostes patriæ inultos esse nolunt, aut pro illa iniurias, damnaue ultro patiuntur, interdum etiam mortem contemnunt. Fuit ad exemplum aliorum erga rem.p. suam ciuis eius singularis pietas, qui filium Catilinæ nefarij hominis in facinore socium retractum ex itinere iussit interfici: at non multò post Ciceronis non minor laus, qui exilio, & ruina suarum rerum Romam iterum seruare maluit, quàm dimicando cum Clodio ciue pestifero ijs periculis obijcere, à quibus consul uigilantissimus eandem antè liberarat, ad extremum uitam M. Antonij nefando scelere amissurus, senexq; in hac ipsa gloria futurus parum felix. Contra Hannonem pœnorum ducem cum ad Beneuentum. T. Grachus secundo prælio usus esset, Volones, qui segnius pugnauerant, ea pœna mulctauit, ut iureiurando adigeret, quandiu stipendia facerent, non esse, nisi stantes, cibum, potumq; capturos; ut accubandi facultate sublata quasi beneficio quodam se priuatos esse arbitrarentur. Quantò autem magis mollem, & intemperantem lædas, si lautè in conuiuio accubantem tum excites, ac pellas, cum iam helluari, atq; ingurgitare cœperit? præsertim si serico indutus tenuissimo leuem sub umbra platani excipiente auram in Pausilippo cœnitarit; unde procul in mare prospectus, tanquam epularum condimentum quoddam, Epicuri de summo bono sententiam ualde approbare, ac sequi cogat? Romæ quosdam uillarum situs sic oblectauerunt, ut, quas magnificentissimè exornauerant, in his sæpissime diuersari uideremus, omnium prorsus officiorum oblitos, & hominis dignitatem turpiter inquinantes: quos quidem homines spoliasses haud mediocri beneficio, si hinc, tanquam è uoluptatum ergastulo, auo-

cassses. Atq; gratiam quidem illam, quæ ad aliorum utilitatem foras ex animo interiore prodit, summa illa decem rerum genera obire, ac sese quoquouersus diffundere breuiter ostensum est. Sequitur autem, ut aliquid de beneficiorum inter se collatione disseramus: hoc enim explicato ratio collocandi beneficij erit apertior. Errat autem sæpe, qui quale sit, quod dare uult, ignorat: ut præter alia detrimenta, quæ hinc permulta possunt existere, plerumq; ei obsit, cui se prodesse putat. Multis igitur modis potest accidere, ut beneficium aliud alio sit maius. In quo primum illud sciendum est, beneficiorum alia natura esse potiora, quibusdam alia: altero genere illa continentur, quæ ad cultum animi pertinent, morum præsertim: qui si rectè instituti sint, de beneficio accepto haud mediocris gratia auctori est habenda; neminiq; unquam nisi beneficia esse queunt: (quid enim uirtus mali afferat, quæ grauiter inimica uitio malum omne, quod ex eo oritur, expellendo, quod bonum est, ex se parit?) ex altero habentur, quæ omni hominum generi, ætati, quouis tempore, loco, beneficia nemo esse dicet: ea sunt diuitiæ, amicitiæ, opes, honores, imperia, reliquaq; huius generis permulta, quæ prout usus horum fuerit, & habenti, & cæteris bona sunt, & mala. Atq; (ut aliud etiam magnitudinis beneficiorum inter se discrimen afferatur) ampliora quidem patrimonia relinquunt parentes liberis, si dent operam, ut hi discant iustitiam colere, coercere libidines, salutem, dignitatemq; publicam tueri, nunquam deserere semper rationis præscripta seruantes, quàm si locupletent pecunia, honoribus ornent, & tot agrorum constituant hæredes, ut Crassum facilè contemnant: quòd illud prius propter se expetendum sit, posterius

hoc propter aliud: alterum semper iuuet; alterum non alios tantum, sed habentem etiam sæpe lædat: alterum per se laudabile sit; alterius tantum usus. Quid æquè homini optandum est, atq; beata illa, & æterna uita? ad quam fuerat is à prima sui origine à suo conditore procreatus; nisi post culpa sua amisisset: ut uel ipsius filij profusione sanguinis tantam iacturam post multa sæcula idem immensa pietate resarciret, quem primò sola bonitas ad tantam liberalitatem inuitarat? ergo, qui se duces reliquis ad hanc rem præbent; qui in eo studium, atq; industriam suam exercent, ut hos & iustos, & pios esse uelint, quibus artibus licet illuc reuerti, unde profecti sumus; qui medentur animorum morbis, dici non potest, quantò maius sit horum beneficium, quàm eorum, qui alios instituunt, ac docent, qua ratione sanitatem recuperent salutaria remedia corporibus adhibentes: sunt enim auctores hominibus eius boni, quod omnium est maximum. In quo quidem & alias, & nostris etiam temporibus cum multorum extitit insignis pietas, atq; industria; tum uero Ignatij Loiolani hominis Hispani satis honesto loco nati. Is primò quidem (quod magis admirere) militiam exercuit; ubi uerò ætatis progressu leuitatem, atq; inconstantiam rerum humanarum uidit, atq; nimis ad has declinanti haud facilè patere ad cælum iter, reiectis impedimentis eam demum uitæ rationem re magis, quam (quod facere pleriq; solent) uerbis, approbauit; qua nulla certè homini est nec animi tranquillitatem quærenti tutior, nec ad ueram laudem aspiranti certior, nec ad omnium parentem deum properanti expeditior: ad rem diuinam animum omnino applicuit. In quo planè & uiri iudicium, & pietatem possis extollere: neq; enim in

angulum ita se coniecit, ut & aliorum conspectum odisse, ac fugere, &, quod multis placet, otium quoddam persequi uelle uideretur; sed ad Christi exemplar sese, suosq; effingens societatem quandam saluatoris cognominem ijs legibus instituit, atq; formauit, quæ, qui in eam ascribi uellent, illos iuberent uitam sibi aliorum salute procurare; nec aut deum precando, aut delicta confitentibus aures præbendo, aut artes liberales ferè omnes cuiuis hominum generi tradendo, aut concionibus ad pietatem instruendo, & cohortando in excolenda domini uinea ignauos, ac desides esse paterentur. Atq; initio quidem pauci admodum extitere, qui institutum sequerentur: uix enim octo, aut decem socios secum is habuit in academia Parisina, ubi primum istuc cæptum est, quibus uictum in diem ab amicis quæritabat. Non multò autem pòst istorum numerus adeò est auctus, ut uix credibile sit annorum uiginti spacio in diuersis orbis terrarum partibus tot horum sociorum reperiri conuentus, ipsorumq; studio, atq; opera trans omnem Indiam, regionemq; Synarum in amplissima omnium insula, quam, qui nouissimè primi adierunt, Giaponem Lusitani uocant, esse Christianum dogma propagatum. Qua in re quis non miretur Francisci Xauierij uel charitatem erga eos, quos, cum ne nomen quidem audiuisset, studuit tanto beneficio cumulare? uel acre animi consilium, qui primus rem tantam est aggressus? uel constantiam, qui peruicerit? nimirum uincit omnia pietas uera, cum homini hæc fida comes accesserit. Horum igitur, & quibus exemplum sequi placet, beneficium est erga reliquos homines amplissimum: quòd hinc æterna ijs existat salus. Maiora etiam sunt illa beneficia, quæ secum bona plura ferunt. Ciceroni ab

exilio reuocato, ut beneficium cumulatius esse uideretur, non domus tantum, quam furor improborum solo æquauerat, sed honoris etiam, dignitatisq; insignia, atq; ornamenta restituta. Omnino, qui utile cum honesto coniungit, plus confert, quam si, quod honestum est, aut utile tantum, conferat: ut, si quis hominem & prudentem, & probum in honoris petitione iuuet, unde ad petentem honestati adiuncta redundet utilitas, magis hic prosit, quàm si è munere laus sola comparetur. Id ipsum planè fuerit auctius, si collatum beneficium uoluptas aliqua exhilarabit. In creatione nouorum magistratuum, ac regum, aut susceptione munerum iure magna omnium lætitia dies festi agitantur, ludi celebrantur, conuiuia lautè apparantur, si omnium consensu probitati, & uirtuti beneficium, & honos deferatur: sin indigni sint, quibus fauore, atq; opibus rerum gubernacula committuntur, dolent animo pleriq;, boni præsertim, licet simulatæ lætitiæ ab inuitis expressa significatio consequatur. Porrò Solonis fuit in suos ciues ex beneficio legum conditarum laus uberior, quàm multorum imperatorum, qui uictorias ex hostibus reportarunt: ille enim & in bello, & in pace ciuitati profuit, in qua iustitiam quo pacto seruari oporteret, edocuit; ab istis temporis belli tantum cura est suscepta, qui, milites ut & labores pati, & mortem contemnere asuescerent, elaborauerunt: quarum planè uirtutum altera quouis tempore utilis est, altera aliquando: &, quod beneficium magis auget, iustitia si adsit, haudquaquam fortitudo semper est necessaria; contrà, si omnes fortes sint, iustitia omnino est opus: ut, quò minus altero quopiam ad sui cumulum indigeat, illud utiq; beneficium maius esse uideatur. Plus quoq; iure illi debetur

interdum, qui aut pro utilitate, aut pro dignitate alterius plus negotij suscipit; amplificatq; officium illud laboris, qui impenditur, licet natura sua tenue sit, & paruum: debet enim semper dantis animus spectari, non munus. Accidit igitur nonnunquam, ut, nisi beneficium ex se laborem omnem uincat, eius beneficentia sit gratior, & maior, qui minus contulit; si ad eam plus operis adhibuerit, quàm, qui tantundem, aut etiam plus interdum, si laboris minus: ut, si quis ad alterum orbem huius rei gratia profectus aliquid huc aduexerit, quo amicum, aut regem muneretur, pluris faciendum sit eius id munus ab illo, qui accipit, quàm, si alter eiusdem generis aliquid, domi quod habeat, non habenti largiatur. Secus autem in accipiente contingit: nam quò leuiore detrimento, molestiaq; beneficium accipitur, hoc illud est accipienti maius. Multi nobiles Romani in bello aduersus Pyrrhum Epirotarum regem capti: quos ille omnes nullo pretio redemptos ad suos remisit incolumes. Non tam rege magno, & tum uictore dignum fuit in hostes esse liberalem, & humanum, quàm his, quæ in tali fortuna plerumq; ingens accipi solet, nulla iactura dimitti iucundum: aut si quempiam inclusum carcere periculo capitis liberes, quem neq; grauiter mulctari, neq; antè supplicio ullo torqueri sinas. Præterea dantis beneficium hoc fit maius, quò id est communius: contrà accipientis, quò magis proprium: alter enim tum laudem multò uberiorem adipiscitur: tum, in quo plerisq; suauis est ostentatio, beatiorem, ac fortunatiorem se esse hinc agnoscit: alter aut uirtuti tribui hoc putat; aut iucundum ducit, eo solum frui, quo reliquos carere uidet. Ciceronis in rem. p. romanam merita fuere maxima, è quibus nullum extitit illo uel ne-

necessitate ipsa optabilius, uel fama illustrius, uel ad communem uniuersorum utilitatem amplius, quo nefarios conatus Catilinæ *fregit.* Gratior *igitur ei tantæ uirtutis, atq; industriæ compensatio nulla esse potuit, quàm, quæ statim à* Senatu *allata est: fuit enim & ad facti magnitudinem singularis, & insignis ad gloriam, ut & pater patriæ appellaretur, & supplicatio quindecim dierum illi decerneretur; qui honos antè datus fuerat nemini.* Atq; *hoc quidem pro natura beneficiorum, præsertim ubi laus quæritur, uerum esse liquet; ut apud illos, qui accipiunt, pluris hæc sint, si aut soli, aut cum paucis æquè perfruantur.* Secus *autem plerumq; fit, ut eiusdem boni participes alios esse libenter uelint; quo si hos carere uident, permolestè ferunt.* Nam *quis est, cui amici salus non æquè chara sit, ac sua? non doleat interemptum, cui socius antè periculi fuerit? nec quicquam aut tam inhumanum, aut ad dissoluendam societatem humani generis tam perniciosum esse potest, quàm in omni uita sibi soli bene esse, cupere, nihil alteri.* Vult Orestes, *ut est in fabulis, esse* Pylades: & *magno studio* Pylades Orestem *fingit, quòd uterq; solum uitæ beneficio potiri acerbum putat.* Nec *omnino falsum illud est, quod uulgo dici solet, felicitatem æternam ei, qui solus fruatur, uideri iniucundam.* Itaq; *uir beneficus debet maximè ad promerendum eam rationem adhibere, ut una eademq; opera, & officio, si potest, multis prosit: hoc enim accipienti beneficia erunt maiora, quò ad plures, qui amici, aut affines sint, ea redundare uidebuntur.* Magnitudo *quoq; beneficij ex eius cùm firmitate, tum diuturnitate nascitur: ut homines sæpius illud malint, & putent maius, quod firmius, ac magis proprium sibi fore iudicauerint, quàm, quod*

fluxum, caducum, & breue, etiam si natura sua istuc aliquantò leuius, quàm illud alterum esse uideatur.

Ego inquit Terentianus Pamph., uitam deorum propterea sempiternam esse arbitror,

Quòd uoluptates eorum propriæ sunt. nam mihi immortalitas Part' est, si nulla ægritudo huic gaudio intercesserit.

Sentit illè ad eam, quam cupit, fortunam perpetuitatem uim habere maximam. Nec ab re à Christo ipso ueræ felicitati æternitas semper adiuncta est; licet superuacaneum id esse appareret: quòd, quos in filios dei se adoptare promulgaret, ijs, ut nomen æternitatis prætermitteret, satis rem ipsam apertè polliceri uidebatur. Sed ueritatis ignaros allocutus eo sermone uti uoluit, qui à quouis facilè percipi poterat: uiditq; multò alacriores ad sequendum se fore, si, quod omnes intelligebant, beatam uitam nunquam desituram esse diceret: nunquam enim bono carere, bonum est maximum. Neq; is, qui potest plurimum aut ingenio, aut opibus, non debet eniti, ut beneficiorum, quæ confert, memoria quammaximè diuturna extet. Hæc reliquaq; huius generis diligenter inspicere oportet; atq; beneficia inter se conferre: uidendumq; primò quid, quale, quantum'ue sit illud, quod datur: sic enim, quid ad beneficentiam maius sit, facile cognoscemus: dein cui, & quando dandum. Quæ maximè scire opus est, non modo ut à collatione beneficij ea temeritas absit, quæ nocet magnopere, sed etiam, ut hinc quiuis plus prodesse norit. Beneficium enim tum eius conditio, qui accipit, tum ratio temporis, & loci gratius efficit, & maius: interdum etiam is, qui confert. Duo quidem omnibus accidunt maxima, & optatissima, salus capitis, et assertio.

Prioris uis est maior: nihil enim cuiq; charius uita ipsa, si naturam spectemus, à qua nullum ijs omnibus, quæ cœlo continentur, munus tributum est hoc maius: si uirtutem, quæ hominis unius est propria, mors hæc, quæ à sapientissimis philosophis, hoc est, à Christianis naturalis dicitur, probitati posthaberi debet. Posterius non tam necessarium, quàm iucundum: uitam enim ut quis gratam ducat, si quicquam aliud, efficit libertas: contrà seruitus ingratam, etiam si ea sit & clemens, & iusta; præterea nulla ab impio domino uiolenta mors metui à seruo possit, quæ, ut est apud nos, pœnarum irrogatione prohibetur: idq; tam est alteri proximum, & simile, ut seruitutem nonnulli morte peiorem ducant. In utroq; igitur maximè elaborandum est: nec quicquam pætermittendum, quod non agatur sedulò, ut & periclitanti, & in summum capitis discrimen uenienti succurratur, & aut retineatur libertas, aut adempta recuperetur. Laudandosq; ex nostris censeo, siqui reperiantur, qui, quos è Maumethanis captiuos habeant, hos studeant primum ab illa impietate auocando, quæ specie quadam pietatis incautos fallit, & ad cultum ueri dei suasionibus compellendo manumissos facere: dein, ubi hoc ab obstinatis animis, &, quales sunt eorum pleriq;, salutaribus monitis parere nolentibus haudquaquam exorauerint, remittant nullo pretio, aut leui admodum redempta libertate ad suos; quos, pari ut cum cæteris conditione essent, omnes natura procreauit: uim enim hoc pacto afferre haud delinquentibus, magis latronum est, quàm hominum non humanitatem tantum præ se ferentium, cuius illi uidentur atrocissimi hostes, sed etiam deum ducem sequentium; cuius benignitas non abnuentibus pateat uniuersis. Tantumq;

abest, ut quas à Christo accepimus, leges suadeant damni, mali'ue quicquam istis hominibus inferre, ut etiam bona omnia ipsis hostibus precari nos cogant. Quòd si beneficium est haud paruum, liberos esse uelle, quos Satanæ tenebricosus carcer inclusos tenet, quantum illud tandem erit, quo his libertas redimitur, quos uera, ut eius uerbis utamur, libertate donatos, liberi perpetuò ut essent, sibi dei filius hucusq; reseruauit. Verum minimè necesse est ea nunc repetere, quæ paucis uerbis supra explicauimus, cum, præter cætera, hoc quoq; redimendorum captiuorum munus in primis rem p. administrantibus assignaremus: satis constat & præclarum esse largienti, & accipienti gratum. Illud præterea negotium, & cura, quæ suscipitur in alicuius ab altero propulsatione iniuriæ, solet esse tam grata multis, tam iucunda, ut nulla maior hac planè possit ab his iniri gratia: nec eius, qui potest, debet hacce in re cuiquam deesse patrocinium; quod sit omnino necessarium ad retinendam in ciuitate concordiam. Videreq; haud paucos licet, qui existimationem læsam propè pueriliter non alia ratione, atq; ui armorum uindicare student: hinc iurgia quotidiè, & contumeliæ graues: hinc illæ tanto apparatu uerborum appensæ in triuijs prouocationes: hinc gladiatoriæ pugnæ: nihil enim homini, qui sit ad honestatem natus, æquè execrandum est, atq; dedecus, turpisq; ignominia: quam qui alicuius ope effugerit, is lætari poterit se beneficium haud mediocre ab eo accepisse. Quid? parum'ne de altero meretur, qui non modo fama oppugnatum tuetur, sed etiam aut ipse interdum cedens ei honorem defert, aut ad consequendum socium se adiungit? hoc certè beneficium tantò debet illustrius uideri, quantò uirtus, cuius insi-

gne habetur honos; ornamentis omnibus fortunæ sapientum est opinione præclarior. Quanquam illud prius necessitate ipsa potalilius, posterius hoc uoluptate: & alterum, si negetur, id omnino interimit, quod alterum cumulatius refert: licet enim plerosq; turpes, & probrosos homines extollat gratia, aut pecunia proueheat ad honores, nunquam tamen possunt efficere, ut, præter ignominiæ labem, quam eluere in tota uita difficillimum est, non & quasi fures esse, & alienis uestibus tegi, ornariq; uideantur. Itaq; *nominis cuiusq; antè defendenda est existimatio, quia honoris immunem esse tolerabilius sit, quàm, quod penitus homine indignum est, aut ignominia, aut flagitio, aut scelere contaminatum turpiter iacere.* Hoc *ubi quis effecerit, famamq; probitatis, qui uerebatur amittere, retinuerit, sequetur alterius muneris expeditior, & cum laude coniuncta susceptio: quem laborem hòc alacrius oportebit excipere, quò est laudabilior opera, quæ & uirtutem extollit, & plerumq;, si prudenter desigatur, publicæ utilitati confert.* Iamuero *res familiaris, si ampla sit, cuiq; facultatis plurimum suppeditat ad cultum beneficentiæ.* Porrò *beneficia illa cùm maiora sunt, tum etiam gratiora, quæ necessaria; ut, si cui desunt, quibus uitam, & suam, & liberorum sustentet, huic alimenta sufficere; captos à prædonibus redimere; in filiarum collocatione adiuuare; non deserere, cuius ui, aut casu aliquo periclitentur fortunæ; æs alienum suscipere, præsertim si sit aut necessitate aliqua, aut fortunæ culpa contractum; opitulari in re uel seruanda, uel, si necesse sit hoc facere, etiam augenda; præterea, si quem uiderit propter inopiam studium ad alicuius artis perceptionem conferre non posse, unde post aut ipse sibi uictum*

comparet, aut emergat, tollaturq; ad gradum aliquem dignitatis, hunc uel auxilij nihil implorantem, ultro etiam pollicentem benignè allicere ad beneficium, uel petentem amanter, & constanti cura complecti. Necessitatis autem non una est ratio: nam aut ab eo, qui accipit, aut à tempore, aut à loco hæc trahitur. Sunt quidem permulti, quorum misera, inopsq; fortuna multis rebus eget ad tuendam uitam: quidam, ut non desit uictus, amicos nullos habent: alij hos tenues admodum, & nullius ferè nominis; qui ne à se ipsis quidem aliorum iniurias arcere possunt. Qui tuetur imbecillum à uiolentia, nec sinit in re familiari à potente innocentem lædi, tantum planè uidetur huic prodesse, quantum, si de arca depromat, quod nihil habenti largiatur: utriq; enim eadem in re succurritur: alterum, quo uis repellitur fortasse impensa minore constat: sola enim opera plerumq; id efficitur: non tamen iccirco leuius esse dixeris: simul enim & egentis necessitas ope subleuatur, ut sit pietati [illegible] locus; & iustitiæ patrocinium suscipitur; quo propè uno ciuitatis salus ipsa continetur. Itaq;, quò miserior fuerit hominum conditio, aut quò maior auxilij necessitas, hòc plus conferet is, qui beneficum his se præbere uolet. In quo illud maximè cauere oportet, ut in primis ei hominum generi consulatur, quorum res ex ampla, aut liberali fortuna ad extremam inopiam recidit; aut opes ex alto, & excelso loco, ut aliquado accidit, ad imum præcipitatæ corruerunt; præsertim si aut aliqua necessitas, aut casus, aut aliorum improbitas, non ipsorum culpa ulla tantam ruinam tulerit. Quanquam ne culpa quidem omnis apud Christum ueniam excludit: qui patris erga filium indulgentiam laudet adolescentem perbenigne recipientis, cui pudor

obstabat, ne panem sibi hostiatim quæreret, cum libido bona profudisset. *Auget hoc beneficium coniuncta necessitati accipientis dignitas; cuius nimirum habenda est ratio: nec, qui dat, expectare debet, ut postulet, qui egeat: non enim patitur dignitas petere; cuius ea est uis, ut aliquando necessitati præponderet.* Licetq; uidere *nonnullos illustres, & animo pari fortunæ uiros, quos maiori gratia deuincies, si honorem his defendas, quàm si in salute iuues: ex quo fit, ut interdum eius, qui accipit, splendor familiæ, aut uirtutis nomen plus commendet beneficium, quàm ratio necessitatis.* Tempus quoq; & *locus beneficij necessitatem affert, quas occasiones si è manibus elabi sinas, haud postea beneficus esse possis.* Nam, si apud Indos amicum Romæ *locupletem reperias, cui aut longitudo itineris alimenta absumpserit, aut casus aliquis, tempestas'ue abstulerit; ipse autem his rebus abundes, quibus egentem seruare queas, non'ne inhumanus sis, & impietatem præ te feras, si, quem procul à patria, & conspectu suorum tanta locorum intercapedine distinent efferæ, & incultæ gentes, homini non opitulere?* Frustra *autem* M. F. Camillus *patriam è ui barbarica erepturus cum manu suis presto affuisset, si in apparatu, aut in itinere longiorem traxisset moram: captam enim ab hostibus arcem capitolinam offendisset, in qua romani nominis reliquiæ seruabantur: in tempore ipso ducis aduentus à gallis liberauit obsessos.* His, *ac huiusmodi meritis, quæ modo diximus ab ipsa necessitate exigi, cuiuis enitendum, ut, quos potest, & æquum est in primis, sibi deuinciat.* Atq; *huius quidem liberalitatis, quæ cum naturæ maximè consentanea est, tum uerò à Christo commendatur, & auribus inculcatur humanis, si quis hisce temporibus au-*

ctorem quærat ad exemplum, habebit is, quem imitetur, Thomam Lilium uirum grauem, & singulari fide, integritateq; animi conspicuum. Is igitur patria Bononiensis, præter multarum rerum scientiam, qua præditus est, hac eius erga multos insigni charitate clarus, haudquaquam uanus opulentiæ ostentator cæteris sic opes impertit suas, ut, cum necessariorum, propinquorumq; aut necessitatem subleuarit, aut auxerit splendorem, quo ille studio tamen tam moderatè detinetur, ut nec auaritiam possis accusare, nec ambitionem damnare, & amicis egentibus certum non desit hinc auxilium, & uiri boni, præsertim si quos, præter probitatem, doctrinæ fama præclarorum studiorum amore flagranti conciliauit, benignè foueantur. Interea tamen ipsi de censu nulla fit diminutio: qui etiam honestissimis eum rationibus augeat: ne, quam sola honestate impulsus libenter exercet, exhauriatur benignitas detrimento multorum. Non desunt autem, ut amplissima illa excipiantur, quæ aut danti interdum maioris sunt ponderis, quàm, quæ ex arca depromuntur, aut planè accipienti gratiora. Quale illud est exempli causa, quo alteri succurritur, cuius de re aliqua agatur apud prætorem causa, aut iudicem, quæ sit natura implicatior, obscurior'ue: aut quum aduersariorum conatus reprimuntur, ictusq; franguntur; qui, cum causa inferiores sint, aut fraude, aut gratia, aut pecunia superiores esse uolunt. Quo in genere opera ea gratissima est, quæ aduersatur gratiæ, quæq; fauorem excludit, nec sinit libidinem ullam dominari, ubi de sola æquitate, aut iure disceptatio est. Deniq; in hoc toto iudiciali foro multum loci relinquitur ad beneficentiam industriæ: quam uenalem omnino habere & turpissimum est, & ciuitati perniciosum:

sum: nec officia ferè ulla reperias his esse gratiora; quibus parta de re interdum leuissima uictoria maiorem affert lætitiam uictori, quàm utilitatem: quæ nulla, aut perexigua hinc elicitur: interdum etiam spem lucri damnum, quod subsequi solet, longè exuperat uoluptate de uictoria sola compensatum. Quare his omnibus præceptum sit, qui se ad has forenses causas contulerunt, primò quidem, ut nihil contrà æquitatem contendant, ne'ue malitiosa illa iuris interpretatione utantur ad beneficium alterius: nulla enim beneficentia illic esse potest, ubi ex alterius incommodo alterius commodum comparatur; aut ubi aliquis ad iniustitiam delabitur uirtuti huic maximè contrariam, cuius uis sola est, ut prosit, nunquam uerò obsit. Dein aut quæstum contemnant; qui, ut non tollat omnino beneficium, illud quasi contaminare uideatur: aut, si præmium quæritur labori, sequantur id leuiore cum iactura clientum; qui hac præsertim ætate maximum putant beneficium, si aut patronos, aut aduocatos uel suarum rerum dispendio fideles inuenerint. Hoc *æquitatis patrocinio multi adeò obstringuntur, ut ferè cuiuis beneficio ipsum aliquando anteponant. Sunt & alia permulta huius generis, quæ, ut dixi, maiora, quàm ex se sint, aut tempus efficit, aut locus, aut casus aliquis, aut, quod sæpe ex non multa opera sequitur, rei alicuius ingens etiam nonnunquam insperatum lucrum, aut alia his similia; quorum singillatim uniuscuiusq; certa regula nulla tradi potest. Sanè, quod alteri beneficium est, si transferas ad alterum, idem huic detrimento erit: aut eidem alias nihil id proderit: quin potius nocebit, quod in præsentia maximè est utile. Ad hæc omnia opus est consilio moderato, & graui. Quid? parum'ne refert quid in dan-*

do, laborando'ue pro altero spectetur? à quo detur beneficium? itemq; quo pacto istuc fiat? si dei bonitas tantum mouet, præclarè: beneficus q; omnino est, ut ex his etiam, quæ supra attuli, liquere arbitror, qui uel in minimis rebus hac causa prodest. Si uero aut utilitas, aut gloria, aut uoluptas, aut aliud quippiam quæratur, nomen utiq; benefici amittit, qui dat; licet, qui accipit, beneficio perfruatur: ad beneficentiam tamen propius accedit, qui gloriam sequitur. Verum, quid impellat, ne semper exigatur ad amussim: ut enim præstantissimum, ita, qui omnino hoc sequatur, difficillimum est, ut inuenias. Planè optandum est, ut quiuis, siue hoc, siue illud moueat, multis studeat prodesse: nullo enim tanquam nodo æquè continetur incolumitas rerum, & salus, quum non uiolatur æquitas, atq; hac mutua officiorum collatione; cuius cum auctor primus fuerit necessitas, non est mirandum, si spes sola alicuius lucri, aut aliud quippiam, atq; id, quod quærimus, multos ad gratificandum trahat: quia illud alterum magis sit pietatis, & uirtutis, quam pauci assequuntur, hoc naturæ. Sed, quoniam non de eo, quod semper fiat, sed, quod fieri debeat, nos loquimur, dei pietatem solam habebit præ oculis, qui alteri utilis esse uolet. Nam, quem non utilitas propria, aut metus post mortem futuri mali, sed bonorum omnium largitor deus ad promerendum impellit, is non modo iuuat alterum, sed ipse quoq; tantum lucri facit, ut beneficium non dare, sed fœnerari putes: qui maximam Christi liberalitatem in se exiguo quasi fœnore prouocare uideatur. Præterea ad diuturnitatem temporis nulla iuuandi alterum firmior ratio, quàm, quæ sola rectefacti conscientia nititur: reliquæ uerò fluxæ, & instabiles sequuntur earum

rerum naturam, à quibus ipse ducuntur: quandiu enim flos ætatis, & formæ integer in uirgine manet, tandiu amor haud leui iactura rerum iuuenem flagrantem trahit ad fruendum: qui tamen, ubi ille exaruerit, statim unà cum inani liberalitatis ostentatione totus exhauritur. Amplificat etiam (*id quod dicere exorsus eram*) *beneficia conditio personæ conferentis: permultum enim interest à rege'ne, an priuato; domino, an seruō; diuite, an ab inopi homine capiantur.* Planè *solet largientis dignitas munus & iucundius efficere, & ornatius, idq; propterea, quòd huius collatio sæpe cum honore, qui soli uirtuti debetur, coniuncta esse uideatur; is autem hoc maior est, quò dignior, qui dat.* Contrà, *quia dignitas nulla inest in opulentia solida, ac uera, gratior utplurimum inopis liberalitas, quàm diuitis, & opulenti: nulla enim spes est ab inopia, aut potius nihil tanquam debitum ab ea reposcitur: at numorum aceruos in arca congestos domi inclusos tenere, ut ad usum aliorum nihil inde depromatur, odiosum est, quia beneficium tollat auaritia; cæteris patefacere, potest non minus humanitatis debitum, quàm liberalitatis ratione, uideri.* Iam, *si amicus, aut, qui nobis est notior, iuuet, quid mirum? mouet hunc amicitiæ lex; mouet consuetudo; mouet fortassis utilitas aliqua, quam ab eo, qui sit ab amicitia alienior, aut ab externo expectare non licet.* At, *quum ab inimico feruntur suppetiæ; quum ab ignoto beneficium accipitur, tantò iucundius hoc contingit, quantò auxilij minus petendum, unde aut plus mali metuendum erat, aut nihil sperandum boni.* Nec *tantum promerentis persona respicienda est; sed, quo modo quisq; istuc agat, uidere oportet; id est, quàm lubens, quàm maturè, quàm non segniter:*

hæc etiam si desunt, ut seruentur reliqua, minus grata uidetur beneficentia accidere. In *quo quidem sunt admodum reprehendendi, qui diutius tenent homines beneficij expectatione suspensos: aiunt enim hoc quasi quadam tarditate condiri.* Verum *longè errant mea quidem sententia; tantumq; abest, ut sera ista, quam ipsi intelligunt, beneficij collocatio probanda sit, ut (nisi ad hanc rem tarditate opus sit) uel maximè fugienda esse uideatur: etenim & excluditur à uirtute, quæ ubi maturè opus est facto, omnem tollit inertiam, & nihil eo molestius, quàm bono carere egentem, cuius potiundi certa spes pridem sit animo concepta; præsertim si per eum, à quo tribuitur, celeriter assequi illud possis: idq; perinde est, acsi aquam sitienti pòst demum propines, quem dudum antè poculo inhiantem torqueri ardore patiare.* Atq; *in hoc multi usqueadeo insuaues reperiuntur & duri, ut ab inuitis beneficium, in quo tanquam ære soluendo fidem suam obstrinxerunt, tum demum exprimi arbitrere, quum claudendæ liberalitatis propè facultas omnis est sublata.* Nimirum *hoc est, ut aiunt, aquam puram, & nitentem potum affectanti obturbare, aut inquinare.* Quare *cum ad omnem actionem, quæ laudabilis sit, tanquam ad forum quoddam honestissimum properè eundum est, tum uerò ea, quam beneficentia parit, omnem segnitiem reijcit, ac moram: ut matura beneficij collatio duplo maius illud efficere uideatur.* Neq; *illa nunc intelligo beneficia, ad quæ semper magna celeritate est opus, ut, cuius magno cum periculo agatur de fortunis, de honore, de libertate, de salute capitis, huic illico præsto esse: sunt enim hæc, & huiusmodi nonnulla, quæ nullam omnino cunctationem patiantur; secus locus nullus plerumq; beneficen-*

tiæ relinquitur; sed tarditatem, quæ ea, quæ post tamen benefi-cia sunt, minus grata efficit, aut leuiora, reprehendo. Atq; hæc non maturitas tantum, sed etiam lætitia ob præclarum officium gestientis animi, quam dant & uultus, & oculi, significatio con-ditiora facit: tum oratio si ad hæc signa adhibeatur comes, ui-detur illa ipsa quasi exhilarare, & ornare. Neq; hic sat esse de-bet, ut, qui dat, quo animo id faciat, tantum ipse norit: refert quidem non parum uel ad exemplum, uel ad amplificationem be-neficij, uel ad aucupandam laudem ex beneficentia, ut intelligat etiam is, cui aliquid tribuitur, accipere se ab eo, qui & dedisse lætetur, & ita dedisse, ut appareat suspitione omni aut repeti-tionis officij, aut quæsiti fœnoris carere.

Verumenimuero multarum, quas res hæc habet, cautionum, illa est maximè necessaria, qua præcipitur, habendam esse rationem personarum, in quas beneficia conferantur. Nec locus quidem ho-mini benefico in tota eius uita reperitur uel ad cognoscendum hoc obscurior, uel difficilior ad tractandum, uel ubi non rectè agas, malorum feracior. Nam & hominum mores, ingeniaq;, ut inspi-cere & uelis, & noris, non nisi diuturna familiaritate, consue-tudineq; deteguntur: ut illud non ab re dici soleat, in dignoscendo homine modium salis confici oportere: &, ubi uix demum omnia introspexeris, atq;, in quo aut iuuando, aut ornando rectè, lauda-biliterq; curam defigas, probè intellexeris, tam difficile est, ut ali-quando, aut etiam sæpe non erres, ut nihil æquè lubricum sit, & specie interdum honestatis ad decipiendum fallax: mouet e-nim familiaritas, amicitia allicit, affinitas ad se trahit &, quid in hoc agendum sit, optimè cognoscentes, & rationi parere

conantes:ut uel inuiti malimus his prodesse, quos nobis aliæ, atq; probitas ipsa, causæ conciliauerunt. Plerumq; etiam, *quia & hæ, quas diximus, causæ uideantur prætendere imaginem æquitatis, & natura ueniam aliquam promereri, maxima hominum pars solos ducit & amore, & fauore dignos, quos aliqua sibi necessitudo commendauit. Quare, cuius in hac tota disputatione esset explicatio necessaria, præterea & scitu digna, & cognitu non iniucunda, illud, mihi uisum est, ne prætermitterem; præsertim cum illic labi facillimum esset, ubi admissus error facilè apud multos non tam ignaros ueri, quàm blandos cupiditatum suarum lenones excusationem haberet. In quos igitur conferenda sunt beneficia: nempe in eos, in quibus iuuandis iustam causam sequitur benemerentis laus: aut (quoniam à nobis, qui* Christum *colimus, benefactis non leuia, ut laudis alterum fortasse, si philosophos sequimur, aut ludrica petuntur præmia) principis omnium, & moderatoris dei amor.* At *latet facilè multos æquitas ista causarum: fateor hoc quidem: quanquam ueri omnis ignoratio, cuius ipsi auctores sumus, excludit omnem ueniam peccato: uerum sequi, quam nosse, multò est difficilius.* Quare, *cum nobis uires propriæ non sat suppetant ad currendum, ad eum pergamus, ab eo petamus auxilium, qui & norit iter commõstrare, & ad honestissimum contentionis huiusce, ut reliquarum, laborem opem implorantibus allaturum se receperit, nec falsus unquam, nec (quod homini uitium peculiare est) ulla in re mendax: atq;, quod nobis in nostra ipsorum causa faciendum* Socrates *præcipiebat, id in aliorum persequamur; ut in uotis sit, nihil ijs præstare, nisi, quod utile, & bonum deus ipse iudicarit: minus enim lubricos, & in-*

certos casus pertimescemus, ubi sapientissimi, optimiq; gubernatoris studio, fideiq; nostros commiserimus cursus. In primis autem sit ea, quæ beneficentiam peperit, charitas dux nobis ad huiusce uirtutis cultum: nam aut errori minus relinquetur loci, cum pio, synceroq; amori cesserit peruersus, & qui dicitur cupiditas, inquinatus amor; aut deceptos aliquando (quod omnino uitare difficillimum est) facilius à reprehensione uindicabit ex pietate laus, quæ deum sui auctorem, parentemq; agnoscit, ac refert, tantò quidem ea præstantior, quam philosophi complures uocibus magis in cælum usq; extulerunt, quàm re, uitaq; sequuti, quantò uerior, qui tenebras hominum è mentibus expellens ueritatem ijs omnem patefecit. Ac, *licet, qui hoc amore incenduntur, tum propensiores ad promerendum, tum ad dandum prolixiores efficiantur, ijdem, tamen usu euenit, ut soleant esse in collocatione bneficiorum cautiores, illorumq;, quibus benefici esse uolunt, aut naturas, moresq; intueri, aut merita ponderare.* Hoc *ideo fit, quòd is amor rationem minus labefactat, & conuellit.* Itaq; *, qui ad prudentiam simul studium gratificandi adiunxerit, (quanquam fieri non potest, ut alterum omnino separetur ab altero, quòd ratio, quæ id, quod bonum est, detegit, uideatur hominem ad amandum illud excitare) ei nequaquam uerendum erit, amore nimio ne peccet, aut labatur, ut temere afficiat beneficio, quem satius sit negligentem præterire: cauebit enim, ac diligenter omnia circumspiciet, ne cùm alicui, tum uerò ei officiat, quem studeat suis opibus à se subleuari, aut tolli.* Atq; *hoc quidem, præter cætera, statuatur, ut ij deligantur, qui norint ita frui beneficio accepto, ut nullius id sit ipsis causa detrimenti.* Hoc *autem quiuis assequetur, si, quod præ-*

cipiunt hi, qui de officijs scribunt, non fortunam sibi decreuerit, sed mores cuiusq; esse spectandos. Quod ab illis quidem sapienter, atq; in eam sententiam mihi dictum fuisse uidetur, ut non tam fortunam paruipenderemus, quàm, quid in accipientium delectu sequi oporteret, doceremur: nemo enim beneficio abutitur, quem uirtus nihil agere, nisi, quod rectum sit, & iustum, edoceat: & uulgi semper fortunæ blandientis accusatur error, de quo sic Horátius,

At uulgus infidum, & meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis
Cum fece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.

Quo nec deformius quicquam; nec homine indignius: scelus enim non unum ab eo, qui sic peccat, committitur, inhumanitatis alterum; alterum quasi proditionis. Auxilio *deesse egenti, cum ferre id possis, sanè impium est, & inhumanum: deserere in aduersis, quem sequutus sis in secundis, prodere est, & amicitiam, qua nihil melius est, turpiter, fœdéq; abnegare.* Et *miramur postea non magis, quàm dolemus, quòd liberalitas, atq; istæc gratificandi opera sæpe accipienti ingrata accidat, aut etiam suo non parum noceat auctori.* Icarco *mala hæc eueniunt, quoniam nec, quæ damus, nec quibus, nosse laboramus: negligimus, aut etiam sceleratè deprimimus, quos studijs amplecti, & tollere æquum erat: qui iure negligendi ob ignauiam, aut ob scelera procul ablegandi, horum patrocinia suscipimus, his liberales, beneficiq; sumus: ita quotidie res eunt in deterius; dum, quæ res exactam administrandi rationem postulat, ad eam nullum consilium adhibemus, nullam curam,*

ram, nullam moderationem; sed temeritate ferimur; languescimus socordia, libidine concitati fines egredimur à ratione praescriptos: ut non mirandum sit, si maximum beneficium summa quandoq; iniuria consequatur. Mores igitur antè inspiciendi sunt; animi latebrae detegendae; aperiendi recessus, nè in ea, quae diximus, incommoda, malaq; incidamus: & ubi istuc erimus assequuti, reiecta omni cupiditate, quae uirtuti inimica retrahit nos ab honesto, toto studio, & animo in beneficentiam incũbamus, fructus eos demum relaturi, qui optimo cuiq;, & uirtutum omnium reginam colenti debentur. Ac legem quidem hanc, qua praecipitur in collocatione beneficiorum mores esse spectandos, iccirco arbitramur esse à sapientibus latam, ut non tam recta, & laudanda sequeremur, quàm, ad quos procliuiores sumus, uitaremus errores: fieri uero non potest, ut illic quis peccet, ubi nulla relinquitur occasio delinquendi: ut ad exercendam beneficentiam necesse sit horum sententia deligi, quorum conditionem morum sequatur promerentis laus, si laudabiles hi sint; aut reprehensio, si culpabiles, & inhonesti. Vtrumq; autem ex uitio, & uirtute oriri solet: quae quia aut adipiscendi, aut refellendi auctores ex parte ipsi sumus, propterea aut laudamur, si uirtutem capessimus; aut uituperamur, si ad contrariam partem delabimur: neq; hîc perinde fit, atq; in his, quae sunt corporis; quorum deformitas, nisi sit delinquentis culpa contracta, ei dedecoris nihil affingit, cui sit potius accusanda natura: ut hoc ipso nomine morum uirtutes, & uitia accipiantur, quorum alij gratiam promereantur omnium, locumq; ad beneficium quoduis sibi relinquant, alios odia maneant, & poenae. Quamobrem pueritia omnis beneficiorum ex-

pers esse debebit, cui fortitudo, temperantia, iustitia, horumq; consimiles mores prorsus desunt, qui non nisi spatio annorum, exercitationeq; comparantur: ut enim ad ætatis huius errata facilè conniuent leges, quia malitia sola plectatur, quæ nequaquam ignorantia nullam excusationem admittente falli potuerit, ita indigna fortasse potest haberi, quæ, siquid ab ipsa extet boni, minus præmio afficienda uideatur: quippe quæ imprudens fortasse, nulloq; consilio illud agat, quod in uiro propter uirtutem ipsam sit laudandum: ita relinquitur, si uirtutem solam spectemus, ut molli, ac teneræ ætati fores beneficentia præcludat. Aut igitur de hoc *melius à nobis statuendum est (quanquam rectè illi ad redarguendum tantum, tollendum'ue errorem uulgi :) aut sua quoq; pueris est uirtus; quam quasi rudem, & inchoatam cernere est, si cum ea conferatur, quam in uiro diuturna exercitatio, & acre studium expoliuit, & perfecit, uirtutem tamen eius ætatis propriam, quæ, cum suis uiribus niti sat nequeat, prorsus alterius egeat adminiculo, qui labantem fulciat, ac sustentet.* Hæc, *siue indoles sit quædam, quæ spem indicet futuræ probitatis, aut alicuius magnæ, consumatæq; uirtutis; siue quouis alio nomine eam appellari libeat, cuius impulsu laudatissimorum incendatur morum, & desiderio, studioq; pulcherrimarum artium detineatur, atq; id quod præcipuum est in pueris, mulieribusq;, &, si quicquam aliud laudandum, (hoc enim potissimum ab ijs tanquam debitum reposcitur) parentibus, senibusq;, ut illæ uiris, sic hi assuescant libenter obtemperare, istuc inquam, quod è pueritia quiuis exigit, & officijs eget maximè, &, quò plus indiget, hæc ætas auxilio hòc maiore subleuanda.* V*erum in eorum beneficio-*

rum, quæ pueris dentur, delectu magno studio, & consilio est opus. Pleriq; putant maximum beneficum illud fore in liberos, si amplissimas his opes cumulent, ac relinquant: illud autem negligunt, quod, si desit, tantum abest, ut alterum sit beneficium, ut, ueluti furenti gladius ad cædem, sic ijs, cùm paulò adoleuerint, tanquam arma ad suum ipsorum interitum, ruinamq́; diuitiæ parentur, & opes. Quamobrem, *ut lautiores accipiant fortunas, et multorũ bonorum constituãtur hæredes, neq; id prætermittatur, quod utiq; beneficium est, si pòst uti nouerint, illud omnino à parentibus in liberos conferendum est, quod unum cum est illustre, tum diuturnum, ac firmum reliquas res aut secundas ornat, aut fulcit aduersas: laborandumq́;, ut boni esse uelint, casti, moderati, & iusti; ut discant unum deum ita colere, ut & ipse coli uoluit, &* Christo *addicti homines docuerunt:* Nec, *præter ad uictum necessaria, pueris quicquam suppeditare ullus debet, nisi perceptionis horum animi bonorum causa; quos & stimulis torpentes excitare, & alacres studijs omnibus ad præstantissima quæq; prouehere oportet.* Aut, *si hæc minus placeant, nec pueris uirtutes prodesse uelitis, quia hæ nullæ sint, spectetur potius, quàm quicquam aliud, cuiusq; necessitas: ut, cum huic consultum fuerit, sequatur pòst ratio probitatis: hoc enim & naturæ magis conuenit, cui prima, ac præcipua sunt, quæ necessaria; &* Chri*stiana pietas ab unoquoq; requirit: quæ non minus pridem uolutatum cœno peccatorum, demum resipiscentem reuerti ad meliora cupit, quàm lætatur hominem nunquam deliquisse: nec minus operam dat, ut ex confessione delicti ueniam postulet, qui se scelere obstrinxerit, quàm ut ne se eo contaminet, ac polluat.* Quòd si

beneficium haud leue est, sicui bene, rectéq; consulentis opera uitiorum sordes eluantur, cur nihil agat, qui rudem adhuc ætatem informet? idemq; excolat quasi incultum, & squallentem agrum? præsertim qui multo labore optimarum frugum sit ferax, nullo spinarum. Hic uerò labor, hoc studium, hæc cura tam est necessaria, quàm, quæ maximè: si, qui nunc reguntur, & parent, post uenientibus annis rerum omnium & ipsi regimen, atq; imperium in cæteros sint habituri. Quare, ut præsentem puerorum uirtutem nullam, quæ tamen, ut diximus, aliqua est, contemnat beneficentia, futuram certè amplectetur: nec tanquam benigna parens omnino deseret, qui propria uirtute carentes paulò seuerius sapientum detrectant iugum: quæ etiam, qua latè prædita est, uim suam proferens coget hominem de omnibus, qui egeant, benemereri, iubebitq; nec animum solum cuiusq; erga se, nec communitatem, nec societatem uitæ, nec ad suas utilitates officia antè collata spectare, illorum præscripta egredientem, qui has, quas dixi, beneficiorum causas esse uoluerunt. Atq;, ut id, de quo loquimur, quàm breuissimè fieri possit, definiatur, iustam causam conferendi beneficij affert probitas: iustiorem necessitas: hæc enim restrictior, illa latior: ornari altera magis postulat, altera iuuari: iustissimam necessitas adiuncta probitati. Ergo, *inquit Antonius, beneficum se improbis præstare licebit, quod necessitatem iuuandi secum plerumq; fert improbitas magis, quàm, quæ huic contraria est, uirtus.* Rectè, *inquit Iulius, Antoni id huic obijcis, quem, nisi tu prior occupasses, omnino uolebam interpellare: mihi enim rei huiusce modo in mentem uenerat, cuius aures non minus, quàm tuas, assiduis, molestisq; deprecatoribus patere ne-*

cesse est. Quamobrem hoc totum de his iuuandis, qui delinquunt, quale sit, scire percupio; ut cognoscam, quibus aut ignosci possit, aut aliquando succurri. Atq; tum istuc, tum illa, eine, qui nos oderit, præterea, qui aut habuerit, aut, si referre potuit, accepti beneficij gratiam nullam rettulerit, beneficium ullum nos dare uelit: postremò, quo facilius omnia recordari possim, eius, in quo informando dudum hunc elaborare cernimus, breuem quandam tanquam depictam in tabula formam quæro, quam uno quasi intuitu oculorum percurram. Reliqua, inquit Antonius, subtexet Iacobus, ubi hoc primum enodauerit. Quidni, inquam, Antoni, & Iuli liceat malis hominum misereri, & quibus potest, etiam mederi, quem tangat humanitas, moueat misericordia, & suscepti muneris dignitas impellat, ac decus? At improbi sunt, bonis infesti, flagitiosi, alieni appetentes: at homines tamen: quos quidem modis omnibus eniti debemus ab insania reuocare: id si ab his impetrari non possit, ne sit cuipiam uinculum amicitiæ, aut societatis ullum cum hominibus, qui è conspectu omnium procul ablegandi sunt; nedum beneficio ullo dignos putes; &, qui aut patronum inueniant, aut deprecatorem mereantur. Est autem in quibusdam insignis adeò improbitas, atq; cum scelere coniuncta audacia, ut satius sit homines è medio tolli, quàm uiuere: huiusmodi sunt, quorum malitia est perditissima contra aut immortalem deum, cuius atrocissimè impugnant Ecclesiam, aut commune otium, aut patriam, in qua prodenda, fœdissimeq; dilaceranda nihil omnino pensi habent: de his hostibus humani generis nihil nunc loquimur, quibus aqua, & igni interdici iura omnia uoluerunt. Quorum autem improbitas non est aut tam nefanda, tamq; omnibus

pestifera, aut non usqueadeo perdita, & quasi conclamata, ut tanquam maculam uesti inhærentem, eluere, atq; detergere ratio nulla possit, hos non adeò excludit à se beneficentia, ut nihil his omnino consulat. In quibusdam enim, si philosophis credimus, tam altè radices egit improbitas, ut, qui tentat euellere, nihilo plus agat, quàm si operam det, ut hæc induat habitum naturæ repugnantis: contrà aliorum aut adhibita cura, aut alia ratione uidentur sanabiles esse animorum morbi, ægritudinesq́;, quæ uitia appellantur. Neq; hæc à Peripateticis dissident: quorum princeps Aristoteles censet fieri posse, ut prodigi ad meliorem frugem aliquando redigantur: cuius naturam uitij non uideo eam esse, ut sola corrigi, aut mutari possit; est & in alijs huiusmodi quiddam. Atq;, ut nisi gradatim eodem auctore itur ad eam uirtutem, quæ cumulatissima sit, ita non continuò sequitur summum uitium, ubi fuerit probitas ablegata: atq;, ut, qui in partes uirtutis concesserint, dicuntur esse uirtute præditi, licet supremam metam non attigerint, sic improbi etiam & sunt, & uocantur, qui ad alteram partem se reflectendo suprema uitiorum contemnentes in eorum quasi medio constiterunt. Vtrumq; ex animis hominum extirpare admodum difficile est; nec nisi diuina ope fieri istuc potest: sed id, quod summum in unoquoq; dicimus, omnium est difficillimum. Quorundam legimus ex nostris tantam momento temporis commutationem morum olim esse factam, ut, qui prius uel latrocinia multis annis atrocissimè exercuissent, posteritati omni reliquerint insigne, ac præclarum exemplum pietatis. Verum id opus est unius dei persæpe arguentis philosophos mendacij, &, ut idem ait, ea facillima ostendentis, ad quæ nulla humana

uis unquam possit aspirare. Quare erit in hos, præsertim si fue- rint sicarij, famosiq; latrones, multò seuerior uir benesuus; nec desperatæ saluti mederi uolet: curabitq;, si poterit, non tantum, ut ipse, sed alius etiam uix ullo beneficio eorum quempiam afficiat: quibus exultantibus scelere, & audacia, atq; in his excellere glo- riam putantibus maximam qui opitulari quærit, ut fit turpiter, & nefariè hodie à multis, maximo se maleficio astringit; &, ut dicitur, ad suam, aliorumq; perniciem hydram alit. Reliquos au- *tem, quibus nondum ad uiuum persedit scabies, non ita oderit, ut nullo pacto saluos uelit: quibus ad salutem recuperandam, quæ uidebuntur, salutaria adhibebit remedia; studebitq; efficere, ut, quo se inquinarint, resipiscant à peccato. Quod si impetrarit, ni- hil erit hoc auctius; quo & eorum, qui acceperint, continetur sa- lus; &, qui dederit, ab eo uel* Christo *sponsore ex parta dei erga se beneuolentia haud mediocre sit lucrum. Sin autem minus hoc pòterit assequi, nec obstinatum animum, obdurantemq; mollire, cauendum, ne, in quo aliquis errat maximè, beneficio uim eius augeas ad peccandum. In quo tamen cum eius, quod præscribit uirtus, tum pietatis habenda est ratio: nec alterum debet ullus spoliare beneficio maiore, quàm sit illud, quod ferre in alterum cogitat, cum non uult iuuare delinquentem; præsertim si peccati natura paulò mitior ex collatione potioris officij ueniam facilè impetrabit.* V*t cum meretriculæ contagioso morbo grauiter æ- grotanti succurritur, quam tamen, ubi conualuerit, ad pristinam uitæ rationem reuersuram scias, unde pòst alicui ex eius consue- tudine eiusdem morbi periculum immineat: multò enim maius est natura sua beneficium, quod præsens in uitæ periculo mulieri tri-*

buitur, quàm, quo alteri minus tum cogit necessitas consulere, quem haudquaquam pro certo periclitaturum scias: præterea eidem salutem procurare, quod pietas exigit, satius est, quàm auxilium tum negando uelle à turpitudine uitæ auocare; citiusq; dei præceptum hac ratione exequaris, quàm si tum, quum minimè opus est, resipiscentem uelis. Hæc *si serues, æquum omnino est in eum minimè beneficum esse, cui te beneficio alendo peccatum obfuturum intellexeris.* Quare, *cum fieri non possit, ut tota simul improbitas in eodem reperiatur, cui unum, alterum'ue uitium beneficentiæ partem aliquam claudit, iccirco tota huic auferri non debet: in hoc nefas est ei obsequi; ast aliud negare non licebit; illud uitium quoddam aufert; hoc alia carenti culpa tribuit uirtus: quæ eidem dando, atq; adimendo non uno modo prodesse potest.* Dein *fortasse, quo genere uitij quisq; polluatur, considerandum: non enim paria sunt peccata, ut Stoici uoluerunt; nec horum eædem pœnæ: si nec uirtutes pares; nec, quæ ex his ducuntur, merita præmiorum similem rationem reposcunt.* Vitiorum *autem alia eiusmodi sunt, ut, qui ea imbiberint, nulla prorsus uenia, aut beneficio digni esse uideantur, nefarij, impij, dijs, hominibusq; inuisi: alijs non omnino aditus ad beneficentiam interclusus; in quæ non tam seuera iure fieri debeat animaduersio: alia fortasse tam leuia, ut nulla pœna acerbior his luenda sit, aut subeunda, quàm ut sermone paulò seueriore castigentur, nedum auxilium denegetur imploranti.* Quid *si etiam nonnulla uidere liceat, quæ* Peripatetici *tuentur esse uitia, & reprehendunt, & uerius mirandum in modum laudari à nostris, & contrà, quàm illi faciant, uirtutes potius esse defendi?* Hominem *flocci faciunt, &, quale* Thaidis

conui-

tium in Socratem legimus, tanquam lapidem è societate aliorum eijciunt, ἀναίσθητον appellantes, qui palatum, ut sic dicam, prorsus hebetauit, qui stimulantis Veneris uim omnino repressit, ac perdomuit, quiq; titillantium uoluptatum illecebras didicit adeò contemnere, ut de potentibus superatis hostibus triumphum agat. At hunc nos non tam laudibus in cœlum ferimus, quàm admiramur, atq; illis cælestibus, æternisq; mentibus quamsimillimum ducimus, quarum uitam imitetur felicissimam, qui sit mole hac corporis & graui, & molesta depressus: nec uitio id ulli datur, sed uirtuti; quæ tantò est præclarior, quantò difficilius liberum habere in uoluptates imperium, penitusq; sibi subijcere, quàm temperare. Neq; in ista ἀναισθησίᾳ credo ad naturam confugient: quæ quò magis è natura esse statuetur, hoc erit eadem, quod ipsi in uitio nolunt, minus improbanda. Huic autem persimile est, quod de appetendis honoribus decernunt: accusant, pro ignauo habent, & nihili faciunt hominem, qui fugiat honores, quibus se dignum cognorit; aut potius, qui se indignum iudicarit, qui merenti fortasse debentur: contrà, quò minus sibi quisq; arrogat, hoc maior laus tribuitur huic à nobis, quibus nihil sit animi humilitate antiquius, religionis, christianæq; pietatis firmo, solidoq; fundamento. Hæc, huiusmodiq; nonnulla, quibus magna sunt utiq; præmia tribuenda, etiam si minus laudanda statuamus ex Peripateticorum sententia, tamen eiusmodi esse dicimus, ut, si reliqua absint, nullo propè officij genere indigna esse uideantur. Id uerò minus in alijs uidemus. Timidum enim, ut in multis iuues, certè nunquam tribunum militum constitues, aut imperatorem, cui castra tuenda committas, qui cum hoste confligat, qui excitet milites ad bellum, ipse,

si necessitas uocet, & antesignanus, & contemptor mortis. At, *si fuerit is* Demosthenes, *enitere hunc ad rostra, concionesq; deducere; uoles ciuium, amicorumq; causas suscipere, rem.p. capessere; quamuis, ut ille, scutum abiecerit; aciem deseruerit; hostium conspectum trepidans effugerit.* Audens uerò, *tametsi pleraq; agit temere, dignior est tamen, cui præbeas gestanda arma, cui exercitum ductandum tradas, quem militiæ addicas: hostem enim sæpe aduersarij pugnantis perterret audacia; metus uel nolentem ad pugnam trahit.* Idem, *si ad rem.p. accedere uoles, multa confundet, perturbabit; maiora fortasse, quàm bonum ciuem, aut hominem probum deceat, audebit.* Intemperanti *iure multa denegantur: si pecuniæ plus, quàm, quæ necessitatem subleuat, largiare, aut nebulonem adiges ad popinam; aut adulterum, ganeonem'ue efficies habitantem, pernoctantemq; in lupanaribus: si honorem aliquem deferas, uide, ne cum ad alienas uxores ob auctoritatem muneris iure quodam liberiorem aditum sibi putet esse patefactum, tum uerò à labore, quem exigit negocij alicuius susceptio, reuocet turpis amor uoluptatis.* In reliquis, *ueluti si uideas ab aduersario capite, et fortunis oppugnari, hominē contra iniuriam iuuare ne pigeat; si, cuius improbitas delinquentem plus, quàm cæteros, lædit, aut ferro, aut fame necatum uelle inhumani est hominis, &, in quæ peccata sæuire aliquando oporteat, parum cognoscentis,* Porrò, *si non desit, quod sit ad tuendam uitam necessarium, prodigo nihil dandum, qui multò, quàm des, plura profundat: prouincia, unde spes aliqua lucri se se possit ostentare, ei nequaquam est deleganda: quoniam, ut habeat, quæ falsam liberalitatem incolumem tueantur, uitium cum uitio coniungit;*

estq; non prodigus tantum, sed etiam sæpe fit iniustus: dum, quod suum est, alteri adimit aut ui, aut imagine æquitatis ius quoddam imperij interdum, minus illud quidem laudandum, quum scilicet eo abutitur ad libidinem, prætendentis. Tutius hic ornatur muneré, unde sola paratur gloria; qua si incendatur, & uitia odit maiora; &, quod peculiare ipse habet, minus reprehensibile uidetur id facere: qui profusione fortunarum imprudens potius utatur ad rem præclaram, quàm prudens abutatur. Si in prodigum nemo, nisi, qui uult esse prodigus, liberalem excepta necessitatis causa, se præbet, qui, ut se miserum perdat, cæteris tamen est utilis sæpe, quid auaro fiat? cui aut plura, aut, quæ satis sunt, habenti qui dat quicquam, non una duplicis peccati pœna huic est luenda: nam & liberalitatem claudit alijs, in quos iure illa exercenda esse uideatur, hisq; propè, quod suum est, aufert; & ei beneficio ipso se obesse non uidet; cui tantum abest, ut habenti sitim pellat, aut sedet cuiusquam munifica manus, & pecuniæ cumulus additus priori, ut etiam augeat: nec ferè aliud est, auaro, qui multa possideat, largiri, atq; uelle hominem fame excruciatum interire. Auaritiæ uero quoniam non est unum genus, utiq; uidere oportebit, utram in partem peccet, qui se hac sorde inquinauerit, dandi'ne, an accipiendi: utriusq; autem conuersa est ratio: est enim modicus, qui dat; qui accipit, nimius: ambobus sanè liberalitas, quæ rem augeat, claudenda: accipientem, cuius est deterior conditio, ne in honoris petitione iuues; quem post non pigebit, si adeptus sit, omnino quæstui habere rem. p., aut, si libido creuerit, omni scelere, atq; impietate dilacerare. Atq; horum quidem, quæ modo percurrimus; itemq; quorundam aliorum eam dicimus

esse rationem, ut, licet culpanda sint, non omnium prorsus beneficiorum expertia esse debeant: multa enim licet concedamus. Planeq; statuendum est, eatenus ab ipsorum unoquoq; beneficentiam tolli, quatenus à beneficio alitur, fouetur'q; peccatum: idq; eam ob causam uirtus cauet, nemini uti obsit, quæ omnibus uult prodesse. Reliqua *qui uitat, non deserit: aut potius, quæ necessariò tanquam demortui uitij locum occupat, alteram uirtutem comes, & amica extollit; nec huic aufert, quo digna est officio, siqua culpa labes'ue cuipiam inhæserit. Omnium uerò iniustitia uitium est maximum, prorsusq; detestandum, neq; odio quantumuis graui, ac magno indignum. Ac, tametsi Christiana religio, cuius tenemur legibus, bene ut sit cuiuis homini, iubet nos cupere, nec exigit, nisi, quæ sint humani ingenij, mansuetiq; animi officia, tamen eodem, qui eam condidit, auctore, cum rapiente semper hominem in deteriorem partem libidine, saniorāq; consilia peruertente Satana mala multa accidere sit necesse, satius esse illos odisse iudico, atq; etiam, ut est pontificijs legibus sancitum, pœnis afficere, qui maximis sceleribus crassari maluerunt, uirtutiq;, aut mediocribus peccatis ingentia uitia prætulerunt, præsertim si ad pœnitentiam nihil spei sit relictum, quàm hos aut nihil, aut parum insequendo tam insignem improbitatē scelerate, atq; impiè alere, aut iuuando ad aliorum perniciem fouere, ac tueri. Nec tā odium malorum debet beneficum hominem à promerendo deterrere, quàm trahere ad insequendum bonorum salus; quàm curæ habere & bono cuiuis conuenit, & deo gratum. Huiusmodi autem sunt, qui iniusti, impijq; dicuntur: est autem impietas iniustitia maxima, qua non tribuendo, quod tanquam debitum exigunt à*

quouis homine bonorum omnium auctor deus, parentes, & patria, dicuntur omnia iura uiolari. Quare homines, quorum animis genus hoc sceleris penitus insederit, ita sunt execrandi, ut non multum peccet (modo suus, quum res, & tempus postulat, seruetur pietati locus) qui nullo beneficio hos frui patiatur. Tantum ad id impellat aut improbitatis odium, aut salutis aliorum causa: una enim iniustitia statum omnem rerum humanarum euertit, & proculcat: nec in huius regno societas ulla hominum inter se potest esse, nec fides inueniri.

Verum illud nosse est opus, è communione aliorum non continuò eijciendum, & prorsus nefarium, iniustumq; haberi, qui alteri aliquid aut ui ademerit, aut dolo surripuerit, aut hominem interfecerit: hæc enim turpitudini minus coniuncta uidentur, aut ueniam aliquam promereri, si causam habeant necessariam, aut minus uitiosam: ut iniustus non sit, quem ad hæc aut necessitas aliqua, aut ira, quam moderari non quiuis potest, præsertim si iusta fuerit; sed, qui consultò sit malus, & eorum è numero, quos uitijs gaudere, & constanter urgere propositum Horatius *asseuerat. Huic autem, quem nondum iniustum esse dicimus, licet iustitiam aliqua in re uiolarit, & ad exemplum tanquam iniusto pœna irrogetur, non est omnino patrocinium denegandum; cum & ipsius iudicis in hunc ipsum animaduersio plerunq; sit mitior, quia iustior possit effici aut asperius monendo, aut castigando paulò seuerius, qui, ut poeta idem ait, summa natans nondum se in scelerum uoraginem ingurgitauit. At alterum, non est, quod defendas, nisi malis ipse aut iniustus uideri, aut probis inimicus: illico enim bonos offendit, qui parcit malis; quos si incolumes esse uis,*

illos utiq; perdas necesse est. Quamobrem iure quiuis Ciceronem redargui posse iudicabit, qui dixerit impium aliquando esse defendendum, idq; cum de officijs scriberet: quo in loco is, qui philosophus, non orator esse uellet; cautior uidelicet esse debuit, præsertim in ea ciuitate, quæ plus æquo gratiam extollebat, legi seueritatem adimebat: sic enim ait. Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum religioni nocentem aliquando, & nefarium, impiumq; defendere: uult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Quàm multitudo uelit? quasi imperitam, cæcam, & insipientem non noris? in quam illud sapienter dictum est

Bellua multorum es capitum:

dixisses uelle hoc Solonem, aut alium quempiam ex his septem, quos sapientiæ nomine Græcia celebrauit, ut fides aliqua adhiberetur auctori: nunc non tam leuitas huius fidem eleuat, quàm, ne qua in re, quæ sit grauis, semper delirantem sequamur, deterret, in quam fertur natura procliuior, libido. At consuetudo patitur: At peruersa, at detestanda; quæ iustitiæ aduersatur, legem optimam tollit, publicam salutem oppugnat. Fert etiam, inquit, humanitas. Fera, & abhominanda humanitas, quæ impietatem tuendo alit. At hoc fieri aliquando libet. Cur non satius sit odisse semper, qui nunquam uult esse bonus? aut certè quando, quamue ob causam, (si tamen aliquando accidit, ut impium liceat defendere) aduocatus huic, aut patronus sit adhibendus, tibi dicendum erat. Non enim amicitia, quæ nulla cuiquam bono cum homine nefario esse debet; non cuiusquam preces, aut lacrimæ, non turpis spes lucri, non ambitio, non ingenij, industriæue ostentatio,

non deniq; affinitas ipsa, aut necessitudo ulla, quæ omnia tum uos disertissimos impellebant, honestè uidentur quempiam ad defensionem impietatis incitare, ac mouere. Quod scribere, inquit, præsertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret grauissimo stoicorum Panætio. Vtrum præuaricatorem »
Panætium dicam, qui, cum sit stoicus, uelit defendi, quod maximum, solumq; malum putet? quod morte peius ducat? an Ciceronem fulmet oblitum accusem, qui liberum se esse ubiq; tantopere glorietur, nemini sese addicentem, atq; mancipantem, ea tantum sequentem, quæ rationi magis consentanea esse uideantur? Aut certè non in peccatum mitior Panætius, sed in auctorem peccati, qui non semper nefarius est, etiam si aliquando deliquerit. At parum erat M. Tulli (pace tua id dixerim) hoc te tam incautè tulisse, nisi etiam fecisses incautius. Luisti ergo huius stulti, imprudentisq; consilij pœnas uel tua ipsius morte, uel eius interitu ciuitatis, quam te in primis, cæterisq; lenius, quàm par esset, improbitati indulgentibus scelerum impunitas afflixit, atq; prostrauit. Vixisses credo diutius, nisi nimia ista facilitas, lenisq;, in quem minimè decebat, natura perdidisset: nec tibi quondam parenti, liberatoriq; patriæ uitam is, quem bis capitis periculo liberaueras, ademisset, si tyrannus fori hominem nocentissimum, sceleratissimumq; nunquam magno cum tuo malo defendisses. Ego uerò, ut proferam, hacce de re quid sentiam, defendere impium, execrandisq; facinoribus crassari gestientem, qualia sunt furta, rapinæ, incendia, hominum cædes, latrocinia, proditiones, non uideo alicui unquam licere, nisi siquando acciderit, ut sit priuati hominis salus cum publica salute coniuncta; detrimentiq;

plus rei.p. mors huius, quàm uita, allatura esse uideatur. Vt cum *de illius periculo capitis agitur, qui & in ciuitate princeps, & fortunis, opibusq; affinium, atq; amicorum potens multos in idem discrimen aut honoris, aut bonorum, aut etiam, ut aliquando potest accidere, salutis trahat, tum, siquis defensorem causæ huic se præbeat, aut sit paulò mitior, cui si acerbus fiat, seditionem concitet, & malum ingens urbi conflet, is uideatur nullam ex hac contentione reprehensionem incurrere: qui impio scelus tum rei. p. causa condonet.* Quanquam *in rectè instituta ciuitate perrarò id contingit; ac, ne eueniat, & seuera animaduersione in reos, & extinctione gratiæ prudentibus gubernatoribus multò antè prouidendum.* Secus *non modo non defendendus uidetur, sed oppugnandus etiam, & à communione ciuitatis aut exilio, aut morte depellendus.* Reliquis *autem, quorum leuiora sunt peccata, potest citra impietatis famam succurri, aut aliquod officium præstari, modo ne ex opera, officio'ue sequatur alterius iactura grauis.* Atqui *dicet aliquis fortasse, etiam si iusta sit defensio, in hominem, quicum inimicitias, aut simultatem gerat quispiam, qui iniuria forte haud mediocri affecerit, ut non inuehatur, sit'ue aliquanto lenior, certè nolet is tueri; nec causam aget, si periculum capitis inimicus adeat, si pro fortunis, si pro fama sit ei dimicandum. minus autem dolebit, (sunt enim multi, qui cupiãt alios potius suas ipsorum ulcisci iniurias; multò plures, qui hoc à se ipsis petunt) cum inimicum uiderit se tacente, & quiescente concidere, ac ire pessum: idemq; existimabit, qui nihil cogitet, nec quid præscribat uirtus, quid religio præcipiat, nec item quid toti ciuitati sit utile, nulla humanitatis lege teneri ad colla-*

collationem in eum beneficij, à quo iniuriam, aut damni aliquid acceperit. Non deerunt, *qui uel exemplis quotidianæ uitæ, quæ utinam ne tam multa essent, uel philosophis quibusdam auctoribus hanc ipsorum opinionem foueant, & alant, ueritatem non magis inani quadam ostentatione ingenij obscurantibus, quàm illos, qui docentium auctoritatem sequuntur, inquinantibus turpis exemplo uitæ. Si enim, inquiunt, ei debetur gratia, qui beneficium » dat, cur pœnam non luat, qui fert iniuriam? si amorem meretur, » qui alicui bene esse cupit, cur non odium, qui malè? deniq; cur non » deceat par pari referre? At natura nihil exigit ab homine, nisi, » quod honestum est, & laudandum: potest'ne laudari, qui alterum lædat, ad quem iuuandum sit natus? At prior lacessiuit.* Quasi *non agat is turpiter, qui ei obesse cogitet, qui nunquam damnum dederit; turpius uerò propè, qui turpem mali auctorem malit imitari, quàm aut ipse uideri bonus, aut alterum, ut inquit diuus* Paulus, *exemplo laudabili patientiæ, constantiæ'ue, ac probitatis auocando à peccato ad amorem iustitiæ, pietatisq; trahere, atq; inflammare.* Potest'ne *laudabile odium uideri, quod sit mali alicuius, damni'ue interdum maximi causa non uni tantum, aut paucis, sed, si hoc inter se principes flagrarint, quale nunc uidemus, uniuerso terrarum orbi?* Natura, *cuius unica est in conseruatione rerum cura, hoc abhorret; humanitas reijcit; ratio damnat.* At*qui, dicet aliquis, legis animaduersio in iniuriam admonet non esse turpe hanc ipsam uindicare; quæ fortasse ueram huiusce causam minus intuenti uideri possit unicuiq; in eo ferre auxilium, ad quod propriæ non suppetant uires.* Cur *enim non liceat homini priuato, si possit, ei malo, quod illatum sit ab altero,*

ea ratione mederi, qua huic ipsi à communi gentium consen ex se impotenti quæri medicina solet? iccirco non decet, quia & turpe sit, ac propterea à lege iusta pœnæ irrogatione mulctatum: quæ & eum, qui passus sit, minus, quid sit æquum, propter odium considerantem, ac uidentem dempta ulciscendi facultate malo exemplo iniustum esse non sinit; &, qui tulerit, castigando uidetur arguere improbandi, ac turpis facti. Secus non uidebitur esse iusta lex, quæ, quod honestum sit, auctorem plectendo, tollat. Sed, si auctoritas alicuius eruditi, ac sapientis uiri quæratur ad ueritatem aut declarandam, aut confirmandam, nullus afferri poterit Aristotele uel perspicacior uel multarum, uariarumq; rerum peritior. Is igitur in his libris, qui sunt de arte dicendi, scriptum reliquit, satius esse iniuriam pati, quàm facere: digna uox homine & docto, & graui; qui, quod turpe est, & uituperandum in inferenda iniuria, facientis tantum esse statueret, patientem ab omni nota infamiæ liberaret: ut uidelicet à ui alterum deterreret, in qua inesset turpitudo; alterum non tam ut molliret ea uacantem, quæ iustius ad iram posset impellere, quàm ut à libidine ulciscendi metu maioris mali, quod unum est turpitudo, inflammatum reuocaret. At uindictæ sublatio nullam liberalitatem, aut beneficentiam infert; hoc est, sat actum abs te putes, si, quod utiq; faciendum est, iniuriam non persequaris; nedum ad beneficium in eum, à quo illum acceperis, teneri te arbitrere. Respondetur, nunquam honesto illud auferri, quod est honestius, ac laudabilius, sed utriusq; tantam affinitatem, coniunctionemq; uideri, ut alterum ab altero diuelli non possit; quod si seiungas, iam non honestum erit, quod laudem maiorem aufert: iniuriæ enim, quæ bene-

ficio spoliat, remissio potius culpanda est, quàm laudanda: nec satis ignouisse is uidetur, cui ea sit ad promerendum impedimento. Aut, si alicuius tamen permittatur uindicatio, ut hi uidentur facere, qui læsam existimationem ui armorum honestè quosdam tueri posse censent, certè propterea uidetur esse concedenda, quòd grauius malum leuiore propulsatur. Itaq; iniuriæ perpessio coniuncta cum honestate (ut interdum aliqua detur, quam honestè pati priuatus quiuis non possit) beneficentiam Aristoteli *non tollit: secus pugnabit cum honesto; quod fieri nullo pacto potest: necessarióq; illud sequitur, eum, qui aliqua in re alterum offenderit, non modò non habendum esse pro inimico, sed amandum etiam, & beniuolentia adeò complectendum, ut non secus, ac si damni nihil attulisset, iuuet.* Vult *hoc ipsa uirtus, quæ tum præclarior uideri solet, quum, quod factu admodum difficile est, iniuriam beneficio compensat. Sed quid hominem sequimur, qui deum habemus auctorem?* Quid *lucem quærimus in tenebris, quorum ex oculis nubes pridem omnes, noctemq; profundam fugauit maximi, clarissimiq; aduentus solis? nefas eius auctoritati nolle acquiescere, à quo planè quicquid ueri cæteri protulerunt, tanquam à sapientiæ, ueritatisq; fonte abunde omnes haurire potuerunt.* Vtrumq; Christus *est complexus, uoluitq; & inimicos diligi, & hos ipsos à nobis iuuari, ne dum aut ardere in hos odio, aut ulcisci, atq; de inferendo malo quicquam cogitare.* Nec *semel hoc præcepit, sed, ut, quam præcellens res esset, ostenderet, hoc uno bonitate, perfectioneq; charitatis docuit nos fieri posse deo quamsimillimos: qui bonis, malisq; pariter solem impertiat eum, quem ille, ut reliqua, procreauit.* Nec Cai Iulij *Cæsaris clemen-*

tia, qua multi non modo sunt ab eo conseruati, sed etiam beneficijs aucti, tot, tantisq; laudibus esset à M. Tullio Cicerone celebrata, nisi hostibus ita parcere, ut præteritarum iniuriarum recordatio nulla ijs occludat beneficentiam, gloriosum, et uiro forti dignum duceretur. Nemo unquam, inquit ille, Cæsar te placauit inimicus, qui ullas residisse in te simultatis reliquias senserit. Quamobrem uir beneficus nulli infensus erit, nisi idem sit omnium hostis: nec odium, aut alicuius iniuria ab instituto amouebit, modo ne in his, quæ diximus sequi hunc debe[illegible] *discedatur ab honesto.* *Eandem quoq; promerendi rationem, ut hoc non omittatur, de quo aliquis fortasse ambigat, erga homines ingratos seruare oportebit, fruenturq; hi secundo beneficio, licet gratia nulla relata sit priori. Quorum omnino duo sunt genera: alterum est eorum, quos non modo compensandi facultas oblata nihil ad id mouet, ad quod honestas ipsa trahit, aut beneficiorum oblitos, aut commoda tantum sua persequentes; sed ne cupere quidem occasionem ullam referendi uideas; quo quidem uno gratus esse potest, cui deest facultas: ex altero sunt, qui tantum abest, ut de referenda gratia quicquam cogitent, ut benemerentem de ipsis etiam oderint, interdum uel beneficium sequatur iniuria. Vterq; est iniustus, quia minus soluendo, quod debet, uideatur, quod suum est, alteri auferre: lege enim naturæ, iureq; humanitatis eadem his debemus omnes, quibus aliqua amoris officia nobis præstita nos antè deuinxerunt. Multò autem alter est iniustior, ac deterior, à quo non unum scelus committitur: etenim non modo alieno fruitur, quod utiq; persoluendum est, præsertim si & reposcat, qui dedit, & possit reddere,*

qui accepit; sed etiam (quod peccatum est maximum) ei, qui iure potest beneficium repetere, damnum infert. Atq;, *cum multis modis iustitia uioletur, (quidam enim uim apertam denunciant, alij dolo circumueniunt incautos, fidem alij fallunt) pessimè fortassis omnium agit, qui hac ratione ad iniustitiam delabitur.* Nam, *præterquam quod fidem uidetur is fallere, dum deceptum se uidet, qui beneficium & rectè se collocasse putauerat, & spe fortasse exigendi, quum, ut est uicissitudo omnium rerum, necessitas postularet, dederat, arguit se esse pessimum, atq; iniquissimum, quem exemplum, ex quo propria ducitur utilitas, non ualet nec ad bonitatem allicere, nec trahere ad amorem æquitatis: cui quidem exemplo si se inimicum præbeat, ne hominem quidem hunc esse dices.* Deinde *tollit amicitiam; commertia multa aufert; coniunctionem, & uoluntatum, & studiorum dissipat, qui gratiam hoc pacto extinguit: est enim mutua officiorum collatio firmissimus humanæ societatis nodus; quem in tanta hominum se plus æquo respicientium coluuione dissolui necesse est, nisi conciliationem gratiæ beneficio quærenti pari & uoluntate, &, si facultas concedit, officio etiam respondeatur.* Has *ob causas, ingrati qui sunt, (præsertim quum aliquis damnum accipit, à quo boni potius aliquid sperandum erat) iure odia incurrunt multorum, non eorum tantum, quorum spem improba fallendi ratione eluserunt, sed hominum etiam, ad quorum aures turpis facti sola fama peruenit.* In *quo, præter scelus, inest interdum aut sordes auaritiæ, quæ referendi studium aut retardet, aut planè auferat; aut quidam fastus animi gratiam nonnunquam contumeliosè negligentis.* Scilicet *paucos inuenias, quorum delictis*

minus, quàm horum, uenia impetranda esse uideatur; quum tamen huiusmodi esse constat, ut non falsò ipsis nota hæc inuri possit. Etenim multos uidere est hoc crimine condemnatos, qui tamen nec ingrati sunt dicendi, nec huius ignominiæ macula deturpandi. Hoc ideo *fit, quoniam non satis potest ueram rerum rationem iudicium animi in plerisq; deprauatum intueri, ac nosse.* Permulti *existimant gratiam quamlibet ad conferentis arbitrium compensationem sequi oportere.* Quid *ergo, siquis olim in capitis iudicio nocentem defenderit, fortè autem accidat, ut huius opera, qui beneficium accepit maximum, hostem is ulcisci uelit, num hominem occidat, metu ne habeatur ingratus? at, qui beneficium repetit, si hoc neget alter, queretur fortasse hominem ingratum à se esse conseruatum: qui uerò melius, quid honesta exigat compensandi beneficij ratio, cognorit, laudabit, qui in re turpi nequaquam uereatur famam ingrati hominis, & nomen.* Honores *alteri à quibusdam deferuntur: dantur imperia: ex ærario multa tribuuntur;* Cur? *ut habeant qui suæ ipsorum faueat libidini; qui iniustum forte imperium tueatur, aut etiam augeat; qui in re minus honesta iuuet: hoc si non faciat, uulgò habeatur ingratus: immo uero, si faciat, & turpis, & eius, quod probum hominem deceat, ignarus.* Addixit *quis operam suam diuiti, ac potenti; in hoc industriam suam multos annos exercuit; eius commodis sedulò, ac fideliter inseruiuit: tandem (sic dij uoluistis) longo labori aliquid affertur præmij: solutionem mercedis statim sequitur laborum finis.* V*trum iure (ita enim audio fieri à multis hodie) hic uocetur ingratus, cui nihil gratis sit datum, an ille auarus, & durus, qui ex præteritæ operæ præmio persoluto*

re[illegible] n exigat, aut futuram? Qui igitur erunt ingrati? illi sci-[illegible], qui reposcenti, præsertim si is egeat, quum poterunt, nolent laudabiliter referre, quæ aut nulla mercede redempta, aut ab homine nullum turpiter beneficium fœnerante ipsi antè acceperunt. Quæ *cum ita se habeant, nunquam ab honesto diuellet, eum, qui se beneficorum numero ascribi uolet, nisi quod turpe est.* Porrò *semper laudabile est benemereri de altero, modo ne beneficium cuiquam obsit: quare & ingratis non est beneficium denegandum, utcumq; & ipsi postulabunt, & seruata honestate facere id licet.* Nec *quemquam fungentem hoc præstanti munere debebit aut retardare, aut ab instituto cursu dimouere alterius improbitas, quæ nulli noceat, nisi exemplo fortasse: est enim ea uitij huius natura, ut, nisi secum damnum afferat, solum non sit alia ratione causa detrimenti, atq; ea, quam attulimus.* Nam *tametsi uidetur esse iniustus, qui, quam debet, tantum gratiam referre negligit, minus tamen peccat, quia alieno tanquam proprio eius, qui lubens dedit, bona gratia frui uideatur.* At *peccatum alit, qui gratificatur ingrato: non alit ille quidem, ut intemperantiam, qui intemperanti plura, quàm sit necesse, largitur: est enim huius, & aliorum dispar ratio: nam, nisi secum alterum uitium coniunctum habeat, quatenus est ingratus, de sua ipsius fama multum detrahit: gratificantis auget: at intemperans, ut in eodem persistamus exemplo, & suum, & alterius interdum lædit nomen: cuius promerendo delictum foueatur. Secus autem hìc accidit: fieri enim aliquando potest, ut, qui prius ingratum se præbuit, postremò quasi uictus assiduis alterius officijs reuocet se se ab errore, atq; studeat, quæ antè neglexerit, ea*

ipſe compenſare. Non *ita eſt in cæteris, quibus quò plura conferas, hòc maiora ſufficias ad augendum alimenta: aut ſi ingratus is eſſe perſiſtat (modo ne ſit homo de ſe benemerentem lædendo nefarius) nocet, ut paulò antè dixi, exemplo tantum: aufert enim ſæpe futura in alios beneficia eorum improbitas, qui præteritorum in ſe immemores fuerunt.* Quanquam *ab eo, qui eſt à nobis hoc ſermone inſtitutus, minimè uerendum eſt, ne ſui oblitus uelit dedecorare perſonam, quam gerit: qui ei citius proderit ſemper, quem officia nulla antè collata hominem gratum efficere potuerunt.* Nec *ueterem ſequetur ſententiam,*

Perdenda *ſunt multa, ut ſemel ponas bene:*

perdere quidem multa uolet, non tamen ut ſemel bene ponat: quem immortalis Dei *ſola bonitas ad promerendum compellet.*

Itaq; *alterius culpa delinquentis nunquam is eſſe nolet, qui eſſe debet: nec ſe ea laude ſpoliari ſinet, qua planè nulla eſt uberior.* Quid *enim homine benefico fructu optabilius, fama illuſtrius, pietate deo immortali ſimilius? obeſſe uult nemini; omnibus prodeſſe, bonus quidem ipſe, ſed ita, ut alijs, quàm ſibi, bonus eſſe malit: ſui profuſus: alieni nihil appetens: contemptor in dando gloriæ: uirtutis unius, ac pietatis amator: obliuiſcens à ſe collati beneficij: accepti memor.* In *quo maior fortaſſe eſt huius laus ea, quæ ex animi magnitudine ducitur, quàm eius, quem proprio magis nomine magnanimum uocitans* Ariſtoteles *uoluit conuerſa ratione collati eſſe memorem, accepti obliuiſci: is enim gloriam omnino contemnit, aut non tam ab ea rapitur, cuius ille fortaſſe nimis eſt appetens; dum ſibi ampliſſima quæq; arrogans hanc ipſam nō minus, quàm, quod pulchrum eſt, perſequi uidetur.*

Ac benefici quidem hominis, ut & res, & uox ipsa indicat, proprium est maximè largiri alteri, ac dare, de se minus sollicitum esse, & anxium, aliorum uerò commoda respectantem minus ab his accipere: ab hoc tamen ipso non penitus debet abhorrere; nec ita habere religioni, ut, licet id profiteatur, quod diuersum est, atq; excellens, pudeat, si eguerit, aut ultrò oblata recusare, aut ab eo, qui possit dare, & uelit, cuiuscumq; generis beneficia postulare. Cauendumq; potius, ne in eo ipse peccet, quod reprehendat in altero: amat enim, aut etiam sibi dari optat, (adeò gratificandi est amore flagrans) qui petant, qui uel indigeant adminiculo, qui currenti calcaria adhibeant. In quo si torpentes uiderit, dolet, accusatq; negligentiæ: sæpe etiam illud in hos dictitat, non ueretur accipere, qui libenter dat: neq; enim ita inuidet alienæ laudi, ut hac alios omnino carere uelit; omnes cupit esse beneficos, ita tamen, ut quicum hac gloria conferri possit, habeat usquam neminem. Igitur accipiet quidem, sed ita, ut ipse dabit, hoc est, nihil exiget ab altero, nisi quod æquum est, & bono dignum uiro; noletq;, ut nomen suum retineat, aut in petendo cupidus uideri, aut in accipiendo multus: nimirum utrumq; cauebit, si necessitas sola impellet inuitum, ac nolentem; qui tamen omnia ante expertus fuerit, si posset non egere: estq; aliqua accipientis laus, si sit accipere cum honestate coniunctum. Verum in hoc differt is ab eo, qui huiusmodi non sit; quòd hunc oportet semper de referenda maiore mensura gratia cogitare: secus non erit beneficus: illum autem nihil necesse; qui, si referat, gratus tantum uideri possit. Atq; is quidem, qui non est beneficus, eo-

rum eſt, quæ dat, beneficiorum memor; quæ uel cum fœnore nonnunquam cogitat repetere: at hic noſter propè delet è memoria quæ ipſe dederit: neq; fas eſt iſtæc animo repetere, niſi aut ſe ipſum ad maiora excitandi, aut cum præteritis recentium coniunctionis cauſa. Nunquam beneficium ulli commemorat: ne commemorando aut repetere, quod minus ipſi conuenit; qui dedit, ne pòſt acciperet; aut, quod auari eſt ſua tantum commoda collatione iſta beneficij metientis, illud ſe fœnerantum eſſe, non utiq; dediſſe uideatur. Vereturq́; , ne illud in ſe audiat, quod Terentianus *Soſia in herum, qui ſeruum libertate donauerat, ſcitè protulit, incautum fortaſſe, minusq́; , quid uirtus hæc uellet, cogitantem: qui ſic loquendo beneficium prudentiori exprobrare uideretur:*

Sed hoc mihi moleſtum eſt, nam iſtæc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris benefici.

Atqui ne immemori quidem exprobrare licet: hoc enim qui facit, indicat ſe beneficij pœnitere, qui accuſet eius immemorem. At uir beneficus, tantum abeſt, ut doleat unquam, ſiquid officij alicui præſtiterit, (niſi mali aliquid, quod ipſe nō ſat proſpicere poterat, ſit ex hoc ipſo ſubſequutum) ut ſtimulāte lætitia, qua ex collato afficitur, ueteri, ſi poſſit, ſemper addat nouum, idq́;, quia nihil ſpectet, niſi, quod ſit in conferendo honeſtum. Quò iuſtius reprehendendus Simo, qui, quod liberum hominem ſcire deceat, ignoret; Soſiæ ignoſcendum, qui, quòd ſeruus eſſet, philoſophos nunquam adijt, à quibus perdiſcere id poterat. Quòd ſi aliquando commemorandum ſit beneficium, hoc ita faciendum eſt, ut alterius cauſa uideatur hoc facere. In quo

planè habet, quem imitari possit, deum: qui peruicaci populo beneficia sæpe commemorauit, quæ multa, & ampla in eum contulerat: non ut repeteret, quorum ille nihil indiget; neq; bona attulisse pœniteret, à quo nihil omnino mali potest existere; sed ut commemoratione beneficiorum resipiscerent à peccatis, auctorem agnoscentes, à quo malitia eorum omnis iure sua bonitate superari, profligariq; debuit. Nullius opes quantumuis amplas, & ingentes cupit, & miratur; *quia alterum potius sit iniusti, & auari; stulti alterum, & uera bona nescientis; præterea ab eius natura alienum: qui si adipiscatur, aut paret, sibi minus, quàm cæteris futurus sit diues: nec, si habeat, honestis etiam rationibus nimis studeat augere.* Nam, *cum præcipua in dando semper aliquid alteri sit huius cura, haud facilè animum ad rem amplificandam applicat, qui, quod iam habet, non adeò magnifacit: nec facilè potest id crescere, de quo semper aliquid, aut sæpe, quàm addantur, plura demuntur: si non habeat, plus optat, quàm quærit, idq; aliorum magis, quàm sua ipsius causa.* Neq; *mirandum est, si multis longè inferiorem opibus uidemus.* Cur *enim mediocres esse, aut tenues fortunas eius dolemus, quem cupimus esse liberalem?* Beneficus *qui est, omnium amatur maximè: quidni? si bonus est? si probus? si, quæ maxima est ad conciliandum amorem illecebra, omnibus perfugium sit, ac tanquam fluctibus iactatis portus?* Diuitias *huic* Crassi, *& uicos, multorumq; prata cuncti optant; bona cuncta præcantur: iustius quidem, quàm Crasso, reliquisq; diuitibus; qui uel ad eas,*

quibus effluerent, parandas uoluptates his ipsis abusi, uel ad iniusta plerumq; imperia iter hinc sibi munientes aut nulli bono, aut, ad quos tantum libido protraxit, paucis admodum profuerunt: indigni penitus ob turpissimos ipsorum mores, qui, quæ iure tantæ uirtuti debentur, abundarent. Vocant ad honores, & imperia; regnum, & diadema uni deferunt: rectius fortasse, & sapientius, quàm, qui tum se Stoicum professus regem constituit,

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

Non enim dignus est imperio, qui diuitias tantum contemnit, reijcitq́; quod fecit Socrates; nec locuples, qui hac ratione sibi diues esse studet: regisq́; munus, quale id esset, interdum minus hi cognouerunt, qui fastu quodam se inferiora cuncta ducentem, beatus ut esset solus, in solio locauerunt; sed, qui se minus amans, sibi parum degens illud unum uult, curat, nititurq́; ut mortales omnes sint quàm beatissimi; hunc regem, & rerum dominum constituas oportet, hunc ditissimum, hunc opulentissimum esse cupias. Quæ quidem non usqueadeo negliget, ut, sicut illi, odisse uideatur: (etenim honorem quantumuis paruum, si detur, lubens accipiet; idq́; ut habeat, quo prodesse possit; nisi fortasse muneribus olim perfunctus sit amplissimis) sed cupiditatem temperans nec oculos horum perstringi fulgore patietur, nec rationem ita peruerti, ut non libenter meminerit, non in possessione diuitiarum, sed in usu opulentiam esse positam; qui tum sit laudatissimus, si non ipse magis, quam cæteri perfruantur.

Quamobrem iure hominem hunc debemus colere, & admira-ri; quem tot, tantisq; laudibus cumulatum cernimus, ut re-liquis omnibus longè antecellat, qui alia ratione, atq; indu-stria immortalitatem non illam quidem solidam, ac ueram, qualem hic adipiscitur, cupidè sibi quæsiuerunt: præterea to-tis uiribus imitari, enitiq;, tales ut ipsi efficiamur, quales esse uult natura ipsa, humanitatisq; ratio; incendit gloria; iubet imperator deus. Nec alia ratione, quæ potior sit, & parenti omnium gratior, unicuiq; patefit ad cœlum uia, atq; cultu beneficentiæ; quæ mortales cum illustres, clarosq; facit, tum uerò & hominibus, & deo ipsi charos; à quo quidem præ-stantibus horum meritis præclariora, amplioraq; præmia tri-buuntur. Nunc, *inquit* Antonius, *Iuli habes, quæ cum* Iaco-*bus studio isti tuo honestissimo, & amplissimæ auctoritati à se deberi arbitraretur, ita exoluit, ut non ipse tantum, qui ad omnia magna, & præclara es natus, sed quiuis etiam, si modo præce-ptis obtemperare uelit, fieri is possit, qui cum in tota disputatione, tum uerò in extrema eius parte quasi ad uiuam effigiem nobis est expressus. Nisi aut fortasse malis ungues sedulò nimis eum imitari; qui tamen, ut uideo, citius totum corpus coloribus animauerit, quàm rudi delinearit penicillo; aut sol ipse præ-cipitans ei finem non statuat, imponatq; labori, quo plura di-scendi amore prouectus pridem fatigatum minus leuari finis.* Planè, *inquit* Iulius, *cumulatum est istuc beneficium: nec, cum plura, eaq; maxima habeam, debeo admodum, quæ desunt, pauciora, leuioraq; curare, facilè hæc ipsa assequuturus, ubi paulò ad cogitandum se animus applicuerit. Quare libenter ei*

permitto, nunc ut quiescat: meminerit tamen in hisce honestissimis contentionibus hoc ipso in loco, aut, ubi sors tulerit, sibi posthac non semel esse laborandum: qui, si non paruerit, tanquam reus ad prætoris tribunal ire cogetur.

